



ationum  
spec.







13  
I. N. 7.  
DISPUTATIO PHILOLOGICO-HISTORICO-  
GEOGRAPHICA

PRIOR  
DE  
FLUVIIS PARA-  
DISIACIS,

*Quam*  
DEO ADJUVANTE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,

REGNI PRUSSIE, ET ELECTORATUS  
BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.  
*AMPLISSIMI PHILOSOPHURUM ORDINIS INDULTU*  
PRO RECEPTIONE IN EUNDEM  
IN ACADEMIA REGIOMONTANA

*publica ventilationi exponit*

M. MARTINUS CORSCH,

*RESPONDENTE*

CHRISTIANO FRIDERICO Stein/

Studiof. Philos. & Theol. Mulf. Pruss.

Anno M DCC VI. die 17. Novembr.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO H. L. Q. C.

---

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.



AUGUSTISSIMI SERENISSIMI ac POTENTISSIMI  
REGIS IN PRUSSIA &c. &c. &c.

Consiliario Status per Prussiam intimo, eminentissimo

VIRO

PER-ILLUTSI, PER-MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO  
atq; GENEROSISSIMO DOMINO,

DOMINO

GEORGIO FRIDERICO

à *Preißen* /

Cancellario, supremi Tribunalis Præsidi, Feudorum Prusficorum  
Directori, Ordinis Generositatis Equiti,

Hæreditario Domino in *Weshtenen* / *Radersdorff* / *Pohren* &c. &c.

Ut &

ILLUSTRI, MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO

GENEROSISSIMO DOMINO,

DOMINO

GEORGIO ERNESTO

à *Schlieben* /

S. R. M. in Prussia Provinciali consiliario gravissimo, Præfecturæ  
Tapiaviensis Archi Capitan'o vigilantissimo

Hæreditario Domino in *Charau* / *Jesau* / *Wittenberg* &c. &c.

Domnis suis gratiosissimus

*Fejunas hæc pagellas, cum omnigenæ felicitatis  
voto devoto, in sui, suorumq; studiorum  
commendationem, gratia, qua Musarum  
alumnis affulgent, suffultus, humillimâ mente  
ac manu, submissè & omni subjectione*


consecrat

PRÆSES.



100

**VIRI**  
**GENEROSE, PRÆ-NOBILISSIMI,**  
**AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI,**  
**SPECTATISSIMI**

 *U*lle *Causa me impulerit, ut NOMINA VESTRA Præclara at-*  
*que Honorifica, tenui huic chartæ inscriberem, est nil, nisi uni-*  
*ca spes de VESTRO erga meam tenuitatem Favore, quam*  
*mibi comparare, jam penes me constitui. Sicuti enim venti*  
*naves; ita Favor ingenia movet. Verùm, quò aliò modò illius*  
*me participem, reddere possem, non video, non sentio, non audio, non intel-*  
*ligo, quàm hâc meâ NOMINUM VESTRORUM SINGULORUM*  
*UNDIQUAQ; CLARISSIMORUM ab animo humili profectâ inscriptio-*  
*ne. Scio equidem id Collegiò Vestrò, virtutibus omnibus aeditò, planè esse indi-*  
*gnum: at si animus, quo Eidem à me inscribitur ac offertur, probè pensitetur,*  
*longè esse infimum: non dixerò modò, sed & juravero. Quamvis & pagel-*  
*las hasce jejunas, VOBIS submissè offerendo totus quasi rubore suffundar,*  
*ex hâc quippe ratione, cùm opera majoris eruditionis à Doctioribus NO-*  
*MINIBUS VESTRIS sint consecrata: intereà tamen VESTRA in Stu-*  
*diorum Cultores Benevolentia omnem mihi promittit aditum. Concedite*  
*itaque, ut juxta aurum Arabia optimum NOMINA VESTRA auro*  
*omnibus*



V  
S.  
omnibusque gemmis digniora, meliora, in Disputatione hacce Posteriori,  
de Fluviis Paradisiacis, ponam. Accipite ergo illud, VIRI, Generose,  
Amplissimi, Consultissimi, non caperata, nec constricta, sed lata, serene,  
ac gratiosa fronte, & suavissimam Favoris Vestri auram mihi ad-  
spirate. Habebitis me semper Virtutum Vestrarum aestimatorem, Be-  
neficiorumque preconem gratissimum; & promitto me aestimaturum  
NOMINA VESTRA magis quam aurum ob affectus sinceram purita-  
tem, & puram sinceritatem, quinimò Splendorem virtutum. Interea  
splendeant in foro, splendeant in thoro. Paradisus sit ipsis curia, sit &  
domus, ita fiet, ut Familiæ Singulorum felicitatis flumine fecunden-  
tur, & consilia instar Paradisi fluvii alumnorum & totius Reipublice in-  
crementum promoverè possint. Ita animum vovet, Favori ulteriori se  
recommendans

Subiectissimus Cliens  
&  
humillimus servus

CHRISTIANUS FRIDERICUS Stein/  
RESPONDENS.



**L**A certè hominum animos occupavit curiositas, ut majori semper conamine ruant in res non semper obvias, quam ex quotidiano usu notas. Etenim obtentu difficiliora, sunt gratiora. Collustra omnes humanæ vitæ Classes, omnes Gentium status, & comperies, unumquemq; sibi placere potissimum in eo, cujus defectum alter ægrè fert. Num dives, quamvis fœnori deditus, nummos antiquitate non minus, quàm raritate pretiosos in quaestum transferet? Neutiquàm; Sed in theca nummaria, tanquàm thesaurum optimum reconditos reservabit. Nauta mavult gloriam capere, peregrina petens littora, quam reiterato cursu, ad terræ vicinæ marginem sæpè appellens. Quid est, de quo gloriatur viator? quod oculos palcât, animum delectat, plurimi desiderant, paucissimi consequuntur. Narrabit tibi loca dissita, & ob pericula subeunda ferè inaccessibleia. Nihil tam efficaciter sui admirationem incutiet, nisi quod rarè contingit. Animalia, quæ Asia, Africa & America alunt, Europæi certatim videre & possidere student. Cùm non omnia f. rat tellus; Ex alio terræ tractu advecti fructus, nunquam non majorem afferunt suavitatem. Eadem ratione, vetustate quæ exaruerunt, annalium tamen ex monumentis eruuntur, scire & scrutari novitate quasi & voluptate rei adstimulantur qui naturalem sciendi inclinationem & aptitudinem, stupidâ curiosorum negligentia non oppræsserunt, sed potius supra vulgus sapere cupiunt. Quemadmodum verò ad res promiscuè à memoriâ & ætate nostrâ remotissimas cupidinis instinctu & stimulo cognoscendas ferimur; Ita præsertim memoria religione sacrorum jucunda, ut libenter temporis injuriâ obscuratam & obvelatam illorum faciem, laboriosâ ruderum relictorum indagine æque ac diligenti disquisitione detectam, habeamus. Si magnis sumptibus & vitæ periculis ferè inevitabilibus adeant Regiones in sacris laudatas; quis terræ Sanctæ Scrutatoribus vitio vertet? cùm, exoticis postpositis memorabilia in Bibliis contenta, diligenter observant. Inter alia præclara, observatu dignissimum judicamus Paradisum, hortum istum Protoplastorum nostrorum, deliciarum plenissimum. Multi equidem hac in materiâ styllum exercuere. Interim tamen, quia tot obscuritatum peplis involuta, ut non ab omnibus intelligatur; Hinc non immeritò hic amœnitatis locus delineandus suscipitur. Omnis autem & vera Paradisi cognitio proficietur ex accuratâ fluviorum Paradisiacorum descriptione, quæ itidem suâ difficultate non caret. Tot ferè fluviorum etiam conjunctim sumptorum



ramos & brachia non animadvertes, quot sunt circa hos sententiarum divertia. Antequam propterea quis illuc penetrare potest, omnia removenda sunt obstacula. Nimirum accuratius hi fluvii sunt examinandi & ad limam lineamq; certam redigendi. Nulla enim sine his ad Paradisum patet via. Hunc laborem impræsentiarum nostrum fecimus, eruditorum contemplationi & examini exponentes *fluvios Paradisiacos*.

## §. 1.

Quid fluvius sit? ex ipso nomine haud obscurum esse potest. Ejus primitivum fluo, unde & flumen & à participiò fluens, fluentum, affectio est, in propria si sumatur significatione, materiae aquosæ & liquidæ. Aqua enim, cum difficulter propriis suis terminis contineri possit, diffluit. Ratione loci & receptaculi sui dispefcitur aqua in maria, sinus, freta, lacus, fontes & flumina. *Arist. 1. Meteor. 13. & 2. Meteor. 1. M. Job. Fechn. Isag. in contemplationem sphaerae terrestri tab. XIV. & XVI. inclusivè.* quæ propriis & differentiis suis specificis à se invicem discernuntur. Flumina autem sunt aquæ à fonte scaturientes & intra terræ cavitates jugiter decurrentes. Quia hæc fluminum consideratio non Physica, sed Geographica est; non attendimus fontium & fluviorum originem, sive oriuntur ex vaporibus, intra sinum terræ collectis, ob frigiditatem istius loci condensatis & in aquam conversis, quæ deinde in locum capaciorem guttatim delata accessione continuà cumulat, ut capi non possit, sed locò aliquò opportunò erumpi cogatur; unde fontes fluviorum matres originem trahunt, quod *Aristoli 1. Met. 3. & cap. 13* placet; sive juxta *Scalig. exerc. 26.* ex aquis marinis, in specus & cava loca per varios flexus & anfractus sese insinuantibus, quæ in angustis specubus ab incumbente mari compressæ sursum pelluntur & egressum quarunt. Hoc nihilominus obiter annotare non intermittimus, te, utram capias sententiam, non contradicere *Eccles. qui cap. 1. v. 7.* principium fontium & fluminum, mare facit hiscè verbis: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Arist. enim, dum asserit, materiam fluviorum colligi ex vaporibus in visceribus terræ collectis, non negat, eorundem principium mare esse. Quamvis hòc modò non immediatè, tamen mediatè è mari exeunt. Nonnè vapores isti igne subterraneo elevantur ex *aquis marinis?* Ut exinde non habeat, quod timeat *Job. Magirus Physiol. Peripat. L. IV. c. VI. p. 370.* Variis nominibus tandem insigniuntur, quæ vel à qualitibus cuilibet propriis, vel à terrâ, ejus adjunctis, quam alluunt, sunt desumpta, sunt insuper vel communia, ut *Europæi, Asiatici, Paradisiaci fluvii,* vel



187  
10

vel propria ut Nilus, Tigris &c. Utraque denominatio hic obtinet. Prætereà quod singuli peculiari suo gaudent nomine, Paradisiaci quoque adiunt, quoniam Paradisum quasi determinarunt.

§. II.

Jam bono ordine descendimus ad discutiendam vocem Paradisi, quæ perspecta, eò melius cognoscetur, quid nomine *Paradisiaci fluvii* h. l. intelligendum veniat? Paradisum originem nativam Persiæ debere contendunt *Mercer. in Gen. p. 47.* & alii apud *Job Henricum Hotting. in Smeg. Orient. p. 78. Julius Pollux Lib. II.* τῶν ὀνομάτων consentit, Paradisum propriè græcam vocem non esse, sed Persicam. *Xenophon & Philostratus* reliquerunt, Paradisos vocari loca Regibus Persarum oblectationis causa comparata, in quibus ad Regum venationes feræ servatæ sunt. *Conf. Perer. comment. in Gen. L. 3. de Paradisò p. 89* vel Persicam vel Arabicam esse, notat Pfeiffer: in quinque loc. Ebr. & Exot. N, T, ad n. Dub. vex. Loc. 27. Svidas deducit in Græcam linguam translatum παραδείσον à δένδρα irrigo, inde verbale δένδρον, vel cum aliis παρα τὴν δένδρον ποιεῖσθαι, à congregatione herbarum. Apud Græcos in usu fuisse patet ex Aulò Gellio, qui Lib. 2. c. 20. refert, ea, quæ suò tempore dicta sunt vivaria, Scipionis ætate roboraria, græcè Paradisos vocari. Sed, probabile est, vocabulum ab Hebræis ad Syros, Arabes, Persas, Græcos, Latinas, Germanos &c. transiisse. Neque hi, qui Paradisum Hebraicæ linguæ civitate donatum esse judicant, in extrahendâ radice, conveniunt. Alii derivant vocem hanc à פרה & רשע בלשׁון, ἀναφύειν proferre plantas; Alii à פרה fructus tulit & הרט myrtus. Prioris ultimâ & posterioris primâ literâ abjectâ, fit פורס hortus amœnissimus & omnis generis fructiferis herbis & arboribus confitus. Quamvis hæc derivatio approbetur à *Cornelio à Lapide in b. l.* Attamen non est ad palatum Joh. Henrici. Hotting. qui Enn. disp. 7. p. 62. ejus originem פורר à singulari excellentiâ constituit. Ita ut Paradisus sit hortus singularis & excellens, Per excellentiam dicitur hortus Jehovæ. Gen. III, 10. Jes. LI, 3. hortus DEI. Exech XXVIII, 11. & XXXI, 15. Ab Orientalibus verò ferè omnibus vertitur hortus DEI, Jehovæ, per Paradisum. *Hotting. L. c. p. 65.* Vocatur alibi hortus Eden. Exod. 2, 15. 3, 23. 24. In textu Mosaicò non quidem occurrit, sed ejus Synonymum גן; Nihilominus tamen, quia à LXX. Interpretibus, à Vulgata & aliis adhibetur, merito & à nobis retinetur. Inani conamine certant Rabbini, גן non posse reddi per Paradisum & Aben Esra ad Eccel. 2, 5. frustra fudit, distingvendo גן פורס, ac si גן notet hortum, qui varias habet arborum species,

A 2  
פורס



פרט verò qui unicam tantum, ex collatione Cant. 4. Hotting. enim L. C. ostendit, hocce discrimen neque solidum, neque apud Hebræos *Veteres*, Syros, Arabes, Latinos &c. receptum esse. Inprimis quidem Paradisus significat pomarium; propterea tamen non dicendum est, communiter non sumi posse pro hortò variis arboribus repletò. In sacris æquivocationem involvit. Sumitur enim, vel metaphoricè pro cœlo & sede beatorum, in quo sensu vita æterna latroni dextram versus de cruce pendenti à Christo ceu amœnissimus hortus ob oculos ponebatur, *hodie mecum eris ev τῷ παραδείσῳ* Luc. XXIII, 45. & Paulus in prægusta singulari vitæ æternæ raptus dicit *eis τὸν παραδείσῳ*. 2. Cor. XII, 4. &c. vel propriè pro locò fructiferis arboribus ornatò. Hæc in significatione ut vocabulum Ecclesiastico-Biblicum in sacro Codice ter legitur, Cant. IV, 13. Neh. II, 8. Ecclef. II, 5. In specie capitur pro singulari istò locò, in quem DEUS primos Parentes ad eum custodiendum & colendum collocavit. Ea & hòc locò obtinet, ut Paradisiaci fluvii sint illi, qui proximè Paradisum, hortum istum pulcherrimum, quem Adam & Eva ante lapsum inhàbitarunt, horti & accuratè describendum curaverat, præter lapsi sunt, eumque irrigarunt, & quos Moses Gen. II, 10. & seqq. ceu vestigia & notas inveniendi Paradisum adducit.

## §. III.

Ipsi fluvii, quatenus ex Mosis descriptione & notis ibidem adjectis sunt intelligibiles, ordinè nunc essent pertractandi, nisi multa impedimenta obstarent, quo minus inoffensò pede progredi liceat. Ne itaque in amplà & intricatâ hæccè materiâ in avia incidemus, hypotheses non nullas, (quibus omnis demonstrandi vis inuitur) easq; vel generales simul omnibus, vel speciales singulis præmittimus fluvijis. Universales, quæ omnibus æqualiter competunt, (ab his ut exordium dicamus) sunt sequentes:

## HYPOTH. I.

*Fluvii Paradisiaci, nisi delineati exhibeantur à Mose, sunt planè inexplicabiles.*

Duo h. l. nobis veniunt consideranda: (1.) Mosen genuinam tradere fluviorum Paradisi descriptionem & (2.) Admiculis investigandi Paradisum à Mose suppeditatis, relictis, neque ex Judæorum, neque ex Gentilium Antiquorum scriptis eandem peti posse. Primum quod attinet, notum est, neminem Sanctorum Scriptorum præter Mosen ex institutò hanc materiam pertractasse. Est enim solus, qui horum fluviorum, in quantum faciunt ad cognoscendum Paradisum, mentionem fecit, ut ante cum ne-

mo



mo eâ de re posteritati quid reliquerit. (Nisi cum nonnullis statuere vellemus, Mosen à Patriarchis acceptam Genesin, eamque tabulis inscriptam & insculptam posteris publicasse.) Ex professò quippe & magnâ diligentia hunc laborem texendum in se suscepit. Propterea non solum omnes circumstantias antecedentes, comitantes & consequentes, horti Edenis qualitates collegit; Verum etiam fluvios tam laboriosè ratione sitûs, lapsûs & aliorum Adjunctorum ab aliis, quibus cum ab Israëlitis facile confundi potuissent, distinxit; ut Populo Jûdaico locus Paradisi utique non incognitus manserit. Præter dicta, fidelitas hunc S. Geographum commendat. Nul- lum requisitum boni Historici ipsi deest. In incorruptò & integrò Histori- cò laudant Cic. L. 2. de orat. c. 9. Quintil. L. X. c. 1. & alii maximè do-ctrinam & ingenium, ne sine judicio omnia concinnet, experientiam, ut quoque rei conscribendæ habeat notitiam, fidelitatem, ne à verò, spe præ- mii; metû poenæ præconceptis opinionibus, aut ullâ re aliâ se divelli patia- tur. Hæc omnia & quidem in summo gradu Mofi competunt. (α) non fuit rudis. Nam in Ægypto, eruditissimis hominibus affluente Regione & quod spem eruditionis auget, in Aulâ Regiâ XL. annos educatus est. Exod. II. Act. VII. 22. Ægyptum verò in variis scientiarum & artium gen- eribus Doctos post diluvium aluisse refert Gregorius Abul-Pharagius hist. Dynost. 1. Dyn. Postmodum exul in Midiam, Exod. II, 11. Act. VII, 23. Ufus est eruditâ conversatione Sapientum Arabiæ & Idamææ. (β) Fuit vir mul- ta experientia. Octoginta enim annorum, Israëlitas ex Ægypto edu- cens, in deserto operam dedit Penta-teucho. Deut. XXXI. (Quamvis re- periantur, qui volunt, Mosen à Patriarchis Genesin vel accepisse, vel diu an- te reliquos Penta-teuchi libros scripsisse, quum creationis cœli & terræ, Pa- radisi, ejusdem fluviorum &c. memoriam in reliquis non reliquerit. Veluti Exod. I, v. 1. seq. c. III, 6. & 14. c. XIII, 19. c. XX, v. 11. c. XXXI, 17. c. XXXIII, 1. Deut. I. 8. Vid. Job. Meyeri dissert. de veritate & divinitate hist. & Proph. Mos. §. V. Alii defendunt Genesin à Mose esse conscriptam, cum exul viveret in Midian. Alii verò, Mosen scriptum Genesios exarasse in Agris Moabi, cum XL. annos in deserto cum Israëlitis erraret. Idem ibid. Abarbenelz autem comm. in Exod. putat, in monte Sinai, sãm pri- mum, quàm secundum Penta-teuchi librum esse compositum. Sit quic- quid sit, ex eò nihil à Mosis experientia decedet) Quod Moses, si ut commu- nem hominem eum consideramus, facili negotiò in istorum, quæ tradi- dit, integram cognitionem pervenire potuerit, palpa vident. Rebus enim, quas quatuor sequentibus consignavit libris, ut plurimum ipse interfuit;



Quas verò cumulavit res in Genesi, ex fidei Patrum traditione habet. Credibile est, Jacob filiis suis narrasse, quæ ex ore Sem, filii Noæ audiverat, hic conversatione Methusalem, cui cum Adamò, homine primò, immediatè colloqui, non impossibile fuit, uti potuit. Jacobi filius Levi genuit Kaba- tum, Patrem Amræ, ex quò Moles. Nihil impedit, quò minus Patres longævires gestas sibi mutuò communicaverint Longævitas autem ista Patrum nec à Gentibus Ethnicis in dubium vocatur. Hanc comprobantes sc. *Mannethon. Egypt. & Berosum Chaldeum aliosq; Aegyptios, Chaldeos, Phœnicios & Græcos*, (qui injurià temporum, exceptò Hesiodò, perierunt) allegat *Joseph. antiq. L. 1. c. 3. & c. 4. Lucianus* ex antiquis monumentis concludit, Orientales Gentes diu vitam protraxisse. *Lib. cui titulus Maxò- Sior*, teste Meyerò L. c. Fuit insuper (γ) *Fidelis*, Patet ex accuratà circumstantiarum annotatione; qui nulla præmia, pericula, nullam gloriam aut utilitatem respexit. Id quod evincunt loca subsequentià. Gen. XXXIV, 14. c. XLIX, 5. & 7. Exod. XXXII, Lev. VIII, Num. XX, 11. 12. c. XXXVII, 14. Deut. 1, 37. c. III, 27. c. XXXIV, 4. En Moles fidem! Qui enim nullà in alià re falsitatis argui potest, in eum non facile cadit simulationis suspicio. Multa, quæ huic vel illi superflua videntur, approbata leges apud non paucos scriptores Gentiles. Sic paludis Asphaltidis meminit *Plinius L. V. Tacitus L. 5. circumfisionis. Herod. Lib. II.* Item turris Babylonice, probabilia quædam exstant vestigia & testimonia in Gentilium historiis, contra *Phil. in initio Libri de confus. lingv.* hanc Moyses historiam, Poetas Gentiles pro se citandò ceu fabulam deridentem, apud *Herodot. in Clio p. 85. Strab. Lib. 16. Geogr. Cont. Abydenus* apud *Euseb. L. 9. preparat. Evang. c. 4. Josephus L. 1. antiq. c. 15. M. Job. Christ. Ising. Exercit. Hist. Chron. Geogr. & Philol. in Pentat. Moyses & Libr. Josuæ dist. 4. quæst. 20. p. 27. Anaxagoras* apud *Laërtium* innuere creditur, quod Phœnicum annales tradant veritatem historiam Moysiæ de origine mundi. Vid. *Marth. Melch. Hackeb. in dubiis piorum circa S. Scripturam resolutis.* In legis Moysiæ veritatem & antiquitatem consentientes adducit *Lenæus de verit. Relig. Christ.* Mahometitas, Mauros, Arabes, Aegyptios, Aethiopes, Persas, &c. Quis jam de Moles integritate dubitabit? cum divinæ veritatis hostes, Ethnici nimium doceant: *Mosen docuisse integrè. Strabo Lib. 10. Cosm. Et Porphyrius Lib. 4. adversus Christianos*, Moles laudat, quod Judæorum historiam verè conscripserit Conf. Petr. Dan. Huetii Demonstr. Evang. Propos. IV. cap. 1. & 2. passim. Tandem (δ) ejus *Gravitas* perspicua redditur ab *Objecti dignitate.* At, dicere velle, Moles nunquam extitisse, perquam absurdum



7  
furdum esset. Nihilominus tamen ejusmodi ferrei oris homines dari, testis est *Job. Meyerus L. C. §. III. p. 7.* Quò quid absurdius cogitari potest? Neges ergò omnia, quæ sedula antiquitas tradidit. Hunc neganti meritò adjudicamus colaphos & flagella, uti *Calvinus* apud *Job. Meyer. L. C. dubitanti*, utrum fuerit Plato aliquis, *Arist. Cic.* quorum scripta tamen exstant.

§. IV.

Ad secundum hypotheseos membrum (2.) observare juvat, Paradisi Adamitici nec volam nec vestigium potuisse inveniri, si *Moses*, cujus monumentum antiquissimum est, sicò pede hunc locum præterisset. Ut taceamus aliarum Gentium annales, exceptis quorundam, præsertim Poëtarum fabulis, vix ad diluvii tempora pervenire; (cùm ante Olympiadas Græcas, quarum initium in *Uziæ* Judæorum Regis tempora incidit, vel ante bellum Trojanum, teste *Diodorò Siculò* apud *Job. Meyerum L. C.* nihil certi occurrat) horum notitia exoticas Gentes fugibat. Quemadmodum ex lumine naturæ non hominis creationem; Ita neque felicem ejusdem ante lapsum, felicitatis sedem perspicere & penetrare potuerunt. Cùm Paradisus illis erat non ens privative, quid fluvii Paradisi ad eos? Ad solos fideles, fideli Patriarcharum traditione, infallibili DEI inspiratione & diligenti *Mosis* consignatione pervenit eorundem cognitio. Summa imis confundes, si huc trahere velis Poëtarum commenta, fragmenta de *campis Elysiis*, de amoenissimis *Thessaliæ*, (cujus descriptionem vide apud *Ælianum init. Lib. 3. ποικίλης ἰσοπέδας*) locis; Desloridis Olympi tempe; hujus de Regionis fluvii *Plinius Lib. IV. c. 8. Ptol. Tab. 10. Europ.* Quò verba *Ovidii L. 1. Metam. p. 39.* spectant:

Est nemus *Æmonia*, prærupta quod undique claudit

Sylva; vocant tempe, per quæ *Veneus* ad imo

Effusus *Pindo*, spumosis volivirur undis &c.

Item de loco animarum in alterò orbe, unde *Arnobius Lib. 1.* manes *Zoroâstris* vocavit: *Age nunc, veniat, queso, per igneam Zonam inferiore ab orbe Zoroâstres.* Et de aureò seculò veterum quorundam Philosophorum conjecturas, quorum prolixum adornavit catalogum *T. Burnet. tellur. theoret. sac. L. 2. c. 7.* Cùm tale quid illis neque in mentem venerit, Si quædam famâ & rumore à populo DEI hauserunt, sine dubiò corruptè & imperfectè retenta, supposititiis circumstantiis & fabulis superstitionis formantium adinstar adumbrarunt, quid? adumbrarunt? obscurarunt & foedarunt. Exemplo esse potest vel solus *Ovidius L. 1. Metam. p. 8.* qualitatem terræ, ab origine mundi, quasi Paradisiaci canens:

Mulce-



Mulcebant Zephyri natos sine semine flores,  
 Mox etiam fruges tellus inarata ferebat,  
 Nec renovatus ager, gravidis canebat arisis :  
 Flumina jam lactis, jam flumina Nectaris ibant  
 Flavaq; de viridi stillabant ilice molla.

En vestigia Paradisi sat obscura, quæ premienda, ipsa sana ratio dissuadet. Agnovit hoc T. Burnet. magnus aliàs fabularum antilium Patronus, cum de Paradiso (juxta ipsius hypothesein tempore ante-diluviano) & diluvio disserit, *tellur. theor. sacr. L. 1. c. 1.* dicens: *Premoneo principium cognoscendi primum esse historiam & quidem sacram.* Nam, Philosophi aureum seculum suum &c. non ratione, sed per traditionem videntur assecuti. Inde Veteres indicia Paradisi à Mose relicta, ceu imperscrutabilia (ignari enim ut plurimum fuere accuratæ Geographiæ) deserentes, te ablegant in alterum mundum, orbem Lunarem, & quæ absurda plura sunt à Paradiso, & ratione remotissima. *Basilii hom. de Paradiso* hisce verbis: *τύπον ὑπερθεοῦσα τῆς ὅλης κτίσεως θαυμαστὸν τῷ κάλλει, ἐν περιόπῳ κείμενον, ἀνεπιστάτηον διὰ τὸ ὑψῶς*, Paradisum facit locum tota terra, aut sublimiorem aut præstantiorem, pulchritudine mirandum, undiq; conspicuum, neq; tenebris aut umbræ obnoxium propter **ALTITUDINEM**. Clarius mentem suam exponit *Moses BarCepha in com. de Paradiso, c. 8.* *Ut cælum firmamentò est superius, & firmamentum Paradiso, ita Paradiso terrâ, quam nos colimus.* Et c. 9. *L. C.* *Illud insuper asserimus, eam terram, in quâ est Paradiso, altiore multò, sublimioremq; existere hâc, quam nos colimus.* Pro suâ sententiâ citat *Ephremum Syrum c. 9. 14. 15.* & alibi, qui seculo IV. vixit, cujus opera in Ecclesiis post scripturas fuisse lecta, testatur *Hieron. libello de script. Eccl. Venerabilis Beda creditur Paradisum collocasse super montem altissimum, lunæque orbem tangentem. Bellarm. autem Lib. de gratia primi hominis c. 12. dicit: se eandem in Bedæ operibus non potuisse inveniri, extare tamen in glossâ Bridiferti Ramestonis ad cap. XLI. Bedæ de ratione temporum.* Hujus sententiæ Autorem Thomam Apostolum involunt. Ita enim *Albertus magnus part. 2. sum. Theol. tr. 13. quæst. 79.* *Hoc tamen dico sine præjudicio melioris sententiæ; quia in quibusdam libris antiquissimis inveni, quod illius sententiæ, quæ attribuitur Bedæ & Strabo, primus Author fuit Thomas Apostolus: quod sit Paradiso tanta altitudinis, ut usq; ad Lunam & globum ascendat.* Enim verò Platoni non Thomæ Apostoli, discipuli sunt dicendi. Is profectò (si  
 verba



9  
verba secundum literam intelligenda) in *Phedone* meminit terræ ætheræ, quam supra nubes omnes, flatus & fulmina ponit. Ejusdem farinae plures errores, qui scire desiderat, *Leg. disp. Job. Fabr. de Paradiso, ejusq. amiss. & cust. §. 18. & seqq. Varenii trifolium §. V. sq. Hopkinsonium in Synopsis Paradisi, Herbin. de Catar. parad. L. 5. c. 1. & alios*: Ubi verò fluvios quæverint? mihi imaginari non possum, certè è mediò planè sustulerunt. Adeas ergò Mosen, ab eò edoctus aliter senties.

§. V.

Cum ad Paradisum nulla alia sit via, præter quam Moses ostendit, ultro sequitur, historiam hanc Mosaicam ab omni injuriâ esse vindicandam. Quod ut prætemus, subjungimus

ΗΥΡΟΤΗ. II.

*Verba Mosi de fluvii Paradisi, genuina fundantur  
veritate.*

Non abfuere, qui statim ab Apostolorum temporibus ei dicam scribere non intermiserunt tum implicite, cum explicitè. Quos inter fuerunt *Simon Magus, Saturninus, Basilides &c. & tandem Gnostici*. Vid. *Irenæus Lib. 1. adv. hér. c. 20. Theodorct. Lib. de heret. fabulis & multi alii*. Quibus se opposuit, ne dicamus de Apostolis & Polycarpò, *Irenæus Lib. 2. c. 67.* Hanc hæresin resuscitavit Manichæorum Princeps Mares. *Clemens Alexandrinus Lib VI. Strom. edit. par. 1572. Origenes Lib 2. πρὸς ἀρχαίω. c. 4. & L. 4. c. 1. &c.* Seculo XII. *Bogomita* Mosi scripta rejecerunt. Post eos *Thomas Monzerus* teste *Lutherò tom II. Altenb. fol. 791.* hanc amplexus est doctrinam. Conf. *Job. Guil. Bajer. comp. theol. hist. Aph. 1. & 2.* ubi quoque invenies veritatis defensores, contra ejusdem osiores. *Celsus* eò dementiæ pervenit, ut non erubesceret, scripta Mosi nominare *anilem fabulam*. Vid. *Orig. cont. Cels. Lib. 4 p. 186.* Cum eò facit *Spinoza tr. Theol. polit. p. 166.* In quorum castra *T. Burnet.* infaustus ille orbis conditor quoque descendit. *Scriptores S.* inquit *tel theor. sac. c. 1. p. 5. illas, ut à sensibus & maximâ hominum parte concipiuntur, exhibent, etsi non rarò id alienum sit à scientiis, à naturâ verâ, & veritate Philosophicâ.* Et p. 252. sequentia habet: *Id in rebus naturalibus Mosi in usu est, potius impingere in Philosophiam, quàm in opinionem & captum vulgi. Gratuletur sibi de sociis. Amicas manus ipsi porrigunt Socinus, qui de Autor: scripturæ c. 1. & Volckelius, qui L. 5. de verâ relig. docent: Dari veras repungantias in rebus parvi momenti & quæ ad historiam pertinent. (Quod verò non solum quoad dogmata, sed etiam quoad omnia, quæ in Scriptu-*  
B  
rà ha-



râ habentur, veritatem defenderint, perspicuum est, ex *Aug. de C. D. c. 41. L. 32. c. 16. contra Faustum. Theodor. præf. in Psalmos. Gregor. Magn. præfat. in exposit. B. Job. c. 1. & c.*)

## §. VI.

Ab objectionibus se non tutum fore, cùm prævidisset. T. Burnet. ipse quadam sibi format dubia, & quidem ex mente Orthodoxorum. Archæol. Phil. l. 2. c. 9. (1.) *Non licere veritatem, quæ sacra & inviolabilis, ullò prætextu violare, ledere, aut ipsius dignitatem infringere.* Ad quod dubium, quando respondet, distinguit in Bibliis contenta, ratione ordinis & gradus, secundum quos alia aliis sint minus violabilia: Ad res minus violabiles refert veritatem Philosophicam & in specie Physicam, quam separat à morali aut divinâ. *Nihil autem, ejus verba sunt, usitatus est in S. literis, quàm neglectâ veritate Physicâ rerum naturas καλοδογματικῶς exhibere.* Quod probat inductione: *Terram planam & quadrangularem exhibet S. Script. calum solidum & expansum instar tabernaculi: Lunam inter maxima sidera: Solem ab Oriente in Occidentem quotidie cursitantem: Oceanum littoribus altiozem: Angelos alatos & linguatos: Animosq; sanguineos & post mortem dormituros: demig; DEI ipsius aures, oculos, manus, digitos memorat & reliqua membra.* Porro considerat rem ratione veri & boni; sanctius verò esse putat, si verum cedat bono. Hinc, si ex occultatâ veritate majus promoveri potest bonum, rem explicandam censet κατὰ τὴν πρόνοιαν, non verò κατὰ τὸ εἶναι. Illustrat idem à comparatò. *Nulli religio est, agros & mentis malè compotes in suum ipsorum commodum fallere, & decipere. Ita quoq; Moses verum protulisset superflue & sine populi fructu, quin ceu noxium & non sine grâvi damno. Nam surdis cecinisset suam Philosophiam. Neq; enim hi laterum coltores, spirantes adhuc porrum & cæpe Egyptiacum: Qui vitulum fuisse, à DEO discernere non poterant, potuissent unquam prima DEI opera, rerum principia, leges & motus nature recognoscere.* Hinc fallendò Φιλαρθεῶπις officium præstitit Moses. Cui accedit, hanc methodum docendi apud antiquos fuisse usitatissimam. Quod docuerint ὁμωδῆ vel νεοσύργε adducit *Parmen*: qui apud Laërtium refert, *duplicem esse Philosophandi modum: τὴν μὲν κατὰ ἀλήθειαν τὴν δὲ κατὰ δόξαν.* Secundum veritatem unum: alterum secundum opinionem communem *Vid. T. Burnet. archaeolog. Philosoph. L. 2. c. IX. It. c. VII. L. c.* duplicem esse, tradendi Philosophiam & Theologiam apud veteres maximè Orientales methodum, affirmat Burnet.



11

net. quæ vocatur quoque *δημιουργία καὶ ἀπορρησία*. Falsò verò tribuit Eusebio, cum his verbis: *κατὰ τινὰς ἀπορρητὰς λόγους Μωσέως*. Secundum arcanos sensus Mosis præp. Evang. Lib. 12 c. 11. hunc arcanum sensum quoad hortum Edenis agnovisse. Arcanus sensus dicitur, non ratione methodi, sed rei. Quoniam circumstantias non poterant Veteres applicare ad Fluvios. p. 438. Subjicit, *Μωσὲν Πλεβείον*, (scil. stylo) *non fabulosò, quanquam eo nomine uti liceret, si de autore exotico ageretur, usum esse; Fabularum autem alia sunt figmenta pura puta: alia verò niuntur fundamentò, sed decorantur additamentis, & ornata adscititiò.* Quibusdam veritas subest, non autem singulis apicibus, sed quoad summam rei & propositum Autoris, ut de Lazarò & Divoite. Si hoc ipse (2.) excipit honestius consultiusq; Mosis fuisset, tacere illud caput de creatione rerum, quam dolosè aggredi & falsum pro verò substitutere. Cui exceptioni se satisfecisse putat dum (α) imitatores Christum & Apostolos adducit, qui ea, quæ secundum veritatem à vulgò concipi non possunt, non silentio presserunt. Ita delicias Paradisi & coronis gloriæ adumbratur cælum: Infernus verò igne inextinguibili & frigore & tenebris extremis: Vermibus deniq; cutem & carnem arrodentibus. Nec minus dies iudicii per clangorem tubæ, reserata sepulchra, libros rationum expositos & erecta tribunalia describitur. Et (β) ab idololatriâ, ne scil. Israëlitz circumvicinarum Gentium Physiologia vitiosa, & vera Religioni inimicâ deciperentur, eò ipsò illos avocavit. Tandem (γ) & ad exceptionem sequentem: *Si in unò, quidni & in reliquis recedere licebit?* (scil. à literâ) sibi respondet (α) *sine necessitate, à literâ non esse recedendum.* (β) Liberior recedi posse, cum textus agit de naturalibus, quam de divinis. Excusare & defendere quidem Mosen propterea vult *In archaeolog. Phil. L. 2. c. 8. seq. Atq; hòc modò dignitari Mosis optimè consultitur,* (dico pessimè, quò Sophistæ & deceptoris nomen ipsi imponitur) *si, quoties recessum est à veritate Physicâ, id fieri supponamus κατὰ συντάξασιν.* Ast alibi impiè & blasphemè in virum S. invehit: *Omnipotenti DEI verbò evocat in scenam Moses unum post aliud, eò ordine, quò maxime visum est necessarium ad instruendum & ornandum orbem habitabilem. Quâ in re satis observâsse mihi videtur τὸ πᾶν.* tellur. sbeor. 5. c. 1. c. 8. p. 124.

#### §. VII.

Salvam & incolorem historiæ Mosaicæ veritatem servaturis, ante omnia incumbit ostendere, resolutionem dubiorum rite formatorum, & sic for-



formandorum, Burnetianam esse insufficientem & nullam. Ut ordine procedamus, distinctè respondebimus ad omnia, quæ primum ad dubium primo reposuit. Et quidem (1.) non quæritur comparative, sed simpliciter & positivè. Utrum veritas ullò prætextu lædi debeat? Et respondetur quod non. Sive violetur in fidei dogmatibus, sive Philosophiæ principiis animò fallendi, est mendacium veritati è diametrò oppositum. Aliàs concedimus veritatem moralem magis violabilem esse præ Philosophicâ ratione effectus. Majus enim damnum affert illa, quam hæc. (Minor autem Burnetium, quod veritatem Physicam à Viris Θεοπυστοις prolatam, contradistingvat divinæ; cum utraque eandem habeat Autorem.) Quæ verò Consequentia: Veritas divina, si violatur, majus peccatum & gravius vitium est Philosophicâ, Ergò hæc violari potest. Est & manet vitium à virò bonò alienum. Nam solum diversum veracitatis objectum non variat rem, ita, ut vis illata veritati alterius respectu sit vitium, alterius non. Dependet à formali ratione, non ab Objectò. Equidem non mendacii reus eris, si celaveris innocentem ad supplicium quæsitum, Principum arcana &c. respicientia vel publicam vel privatam salutem, de iis etiam Interrogatus. Dispar est ratio. Hic enim formale mendacii deest, scil. proæretica & dolosa, fallendi intentio. Non enim est voluntaria, sed mixta reticentia, & ejus quasi extorsio. Negas, te id scire, ad quod divulgandum nonnes obligatus. Ideò non negas principaliter & primariò, ut alter fallatur, sed ne res reticenda prodatur. Quod verò eò ipsò decipitur, sit planè per Accidens, & non persè. Considera jam, utrum Moles rem occultandi causam habuerit? Nullam. Neque joci causâ hæc fingere potuit. Virum gravem, qualis Moles erat, in re arduâ hoc maximè dedecet. In inductione allatâ advertes (2.) arenam sine calce. Hæc planè non coherent. Probare ipsi mens erat, veritatem non violari, etiam si quædam Philosophica non *αληθειαν* proponantur. Affert autem inter alia & de DEO quædam, huc non pertinentia, utpote qui Physico quâ tali cum attributis suis est incognitus. Præter hæc præsupponit, quod ipsi erat probandum. Nam, in quo sensu S. Scriptor terram dicit planam & quadrangularem, in eo verum dicit. Non intelligit planam simpliciter, sed respectivè & τὸ quadrangulare non propriè, sed latè sumitur pro plagâ mundi. Prouti & nos mundum distingvimus in quatuor quasi angulos, Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem. Numne proptereâ mundum facimus quadrangularem? Cælum solidum est (α) quia constans; (β) tribus suis gaudet dimensionibus, vel quia corpus. (γ) quia expansum est. Evidens ergò est,



est, quomodo caelum dicatur solidum. Expansum instar tabernaculi per similitudinem rectè dicitur, dummodo ultra tertium non extendatur. Falsum est inter maxima Sydera numerari Lunam. Magnum luminare vocatur, quod reverà est. Positò, Lunam esse magnum Sydus, non statim tollitur, ergò non sunt Sydera caeli majora lunà. Quid, si maximum luminare diceretur, non obesset veritati. Est quoque unum maximorum cum additò luminarium, quippe quod secundum Solem plurimum luminis orbi largitur. Hinc Sol & Luna vocantur Gen. I. magna **לְוָנָה**. Quodnam absurdum putas? Solem ab Oriente in Occidentem quotidie cursitare. Quietem caeli & cursum terræ nobis haud persuadebis. Oceanum littoribus altiorem esse, ex scripturâ explicitè & simpliciter non probatur; per consequentiam quidem deduci potest, Oceanum terrâ altiorem esse, Numne proinde quoque littoribus? Dic & montibus terræ altissimis. Locus Es. VIII, v. 7. metaphoricè copiam sive exercitum Assyr. sub imagine undarum præsentat. Si velis propriè aquam intelligere sermo erit de Euphrate sæpè exundante. Reliqua, quæ habet, dicuntur *ἀνερωπασαθῆς*, & per similitudinem quandam. Quò ipsò nemo fallitur. Eò animò non adferuntur, ut prout verba jacent accipiantur. De angelis addi potest, quod hi in sacra scripturâ legantur, corpus quandoque assumpsisse. DEus ipse non rarò in assumptâ formâ apparuit Nunc quoq; (3) videndum est, an boni & utilitatis causâ fallere liceat, an non? Negativam partem tenemus, cum *M. Anton. Ittero in Syn Phil. Moral. p. 91.* Quia non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona. *Bonitas moralis insuper non dependet præcisè & solùm ab hominis intentione, sed à conformitate cum lege.* Post intervallum concludit: Sic mendacium, manet mendacium etsi ad proximi unitatem (addimus utilitatē) referatur. H. J. Simile istud est maximè dissimile. Non omnes Israëliitarum, quos inter erant populi proceres & seniores, rudes nominandi sunt. Esto, nullum prævideo imminens damnum, si Judæis inexplicabilem Philosophiam tradidisset. Non scrutati fuissent; id quod à rudibus longè abest, sed veluti Plebeji omnia vera reputassent, & simpliciter omnia credidissent, quia simplices. Neque (4.) Veterum docendi genus diversum hic locum habere potest. Nemo facilè dixerit, veteres studiò fallendi crassò modò populum docuisse, quod tamen est cardo rei. Quid? Burnetius sibi non constat. Jam dicit, veteres docuisse crassò & vulgarimodò, jam arcanò, quando pro se citat Euseb. cum agnovisse arcanum sensum Mosis. Verum, Burneti, simplices isti laterum coctores, penetrabunt ne sensus arcanos? Te judge, non. Concedamus & hoc, neutiquam probandum



probabis, confundis potius veritatem Logicam cum veritate Ethicâ. Mitto hoc, paucis de antiquo & avito informandi modò. Quoties veteres sive populari, sive arcanâ informârunt methodo, toties semper veritatem proponere studebant, ad captum vulgi, nunquam autem intenderunt, populum decipere. (Referri quoque posset ad disparatam veritatem, sub intellectu eò, quod sine labore intelligi potest, & non habitò respectu ad rei integumentum, sive crassum loquendi modum.) Instruebant secundum communem opinionem, ut eò ordine ad veritatem pervenirent. Ejusmodi veritati sub ordinatas disciplinas lege sis ap. *M. Andr. Hedionem Profess. Phil. Prim. &c. in hâc Albertinâ quondam celeberrimum in Org. Arist. part. 2. Analyt. sc. p. 12.*

## §. VIII.

Tandem fabulæ & parabolæ &c. sive fuerint pura puta figmenta, sive tantum quoad quædam adscitiia, quoad Autoris propositum autem & summam rei vera, minimè tamen mendacio, quod ex habitu malitoso fallendi proficiscitur, sunt annumeranda. Quod fabulæ, quæ fabulæ, mendacii non sint postulandæ, in vado est. Nunquam pro veris obtruduntur hominibus: (cum tamen verum sub hoc velamine occultetur,) *sed extra verum exerrant eò licentius, quod cum sciant, sibi non credi, quicquid fingunt Poëtæ. Conf. M. Ant. Iter. L.C. p. 252. Bekan. part. 2. Theol. Schol. Tom. 2. membr. 1. c. 3. q. 4.* Per falsâ adscitiia, quæ tamen quoad Autoris intentionem vera esse perhibet, videtur innuere parabolâ, quare statim parabolam de Lazaro & divite adjecit. Sciendum est, in quâlibet parabolâ duo contineri, alterum est res intenta, alterum Similitudo, quæ à Burnet, adscitiium, quod rursus pro falso capitur, vocatur. Sed se ipsum & alios decipit. Similitudo enim non affertur, ut habeatur pro re facta, sed ut per eam res melius explicetur. Quin imò ad conspectum istarum rerum, à quibus similitudines de promptæ, cum rem oculis quasi subjiciant, recurrit res parabolicè proposita. Vid. *Salom. Glass. Phil. S. p. 287 406. & sqq.* Rectè igitur *Erasm. in paraph. N. T. ad Marc. c. 4. 2. Proponerat (Christus) parabolâ, b. e. rerum notissimarum similitudines. Est enim hæc simplicissimum docendî genus, ac rudibus maximè accommodum.* Idem esto judicium de fabulis & veterum docendi methodò. Spectant verò hæc ad Mosen? Num voluit, ut populus Judaicus verbis suis nullam haberet fidem? textus reclamat. Quasi re benè gestâ, quò sincerus videatur, excipit (II) ad datam suam responsonem Burn. resolutione annexâ: Mofi non opus fuisse tacere, sed falsum pro verò substituere potuisse; (I) Quia hoc fece-



15  
fecerunt Christus & Apostoli. Bone Burneti, (si bonus dicendus,) falsum est, Christum & Apostolos in adductis locis falsum pro verò afferre. Rem veram exponunt per similia & circumstantias in re simili occurrentia. Noti verò hoc, populo persuasum voluere, res terrenas tunc temporis adfuturas, quas alibi à vità beatorum removent. Postulare à te possemus rationem & causam, ob quam à rebus divinis captum transcendentibus, quas neque oculus vidit, neque auris audivit &c. tuam compilaveris inductionem? cùm res nobis sit de Physicis & Philosophicis. Novi, conclusis à minori ad magis probabile, non advertens disparem rationem. Pro tempore non invertam: si illa, quæ humanum captum superant, per simulacra reddi debent familiaria; non & naturalia imaginum integumentis sunt involvenda. In summa, licet scriptura phrasibus figuratis familiariter utatur, eæ tamen nunquam falsum, sed semper verum inferunt. Seposito hõc ad rationem (2.) observamus, (a) Mosen aliis mediis avocandi populum à Gentilium traditionibus uti potuisse, nimirum miraculis, quibus satis superque doctrinam suam confirmasset, quod quoque alibi locorum factum est, ut Israelitæ Mosis doctrinæ adversa & contraria rejicere cogerentur. Nolo (ß) tecum permittere mala & quævis turpia vitia ad bonum aliquod eliciendum. Licet ergò furari, dummodo ad pium usum conferatur, licet scortari, ad repellendum furorem ex inordinatò amore metuendum. Absit! ipsi quæsissemus ex Burnetiò, quid eum impulerit, ut à literà recesserit, nisi (III.) ausus fuisset, canonem hunc hermenevticum limitare, non recedendum esse à literà (a) sine necessitate. Benè, sed quæ necessitas id fieri suasit? Ineptissima tua mundi antediluvianii idea? Ergò necesse est, literam relinquere, quoties res ad insulsum cujuslibet conceptum accommodari non potest? absurdum! (ß) *Liberius*, cum sermo est de naturalibus; Quam ob causam? quia divinæ magis veræ sunt, quam res naturales in S. codice comprehensæ, est petitio τὸ ἐν ἀρχῇ, vel quia tutiores in Physicis, quam divinis & scitu necessariis errare possumus. Quid hoc ad scopum? Certè profectò, qui sine urgente causâ à literâ, is simul à veritate recedit. Optimè *Aug. epist. 7. ad Marcellinum*: *Si ratio contra divinarum scripturarum auctoritatem redditur, quamvis acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest: Rursus si manifestissima certaq; rationi, velut Scripturarum Sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit, & non scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potest, sed suum potius objicit veritati, nec quod in eis, sed quod in seipsò, velut pro iis invenit, opponit. Idem Lib. 1. de Gen. ad lit. c. 19. Cum quenguam Chri-*  
siano-



stianorum in eâ re, quam optimè norunt, errare deprehenderit, & vanam sententiam suam ex nostris libris asserere, quò pactò illis libris crediuri sunt, de resurrectione mortuorum & de ipse vitæ æternæ, regnòq; cælorum, quando de his rebus, quas jam experiri, vel indubitatè numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint, esse conscriptos. Et c. 21. L. C. Quicquid illi, (Philosophi) de naturâ rerum veracibus documentis demonstrare potuerunt, ostendimus nostris literis non esse contrarium.

## §. IX.

Plura asserere prohibet institutj nostri ratio. Non diu ergò commoramur, quin apponamus

## HYPOTH. III.

*In sensu literali cõj, propriè sic dictò descripsit Moses Paradisi fluvios.*

Συάφεια textus id evincit. Postquam Moses sex dierum opera enarrasset, devenit ad hominem, cui DEUS ex terrâ formato viventem animam inspiravit; ex viri costâ ædificavit conjugem. Hi duo homines varia nacti sunt à DEO privilegia, præsertim dominij in reliqua animalia omnia. Conveniens ergò erat, ut collocarentur, in locum optimum, amenissimum. Inde factum, ut DEUS plantaret hortum, arboribus fructiferis constitutum, quem incolendum ipsis dedit. *Fuit Paradisus tanquam arx aliqua in urbe, sedes & habitatio Adami &c. sunt verba D. Dav Rung. com in Gen.* Ne fertilem suam ubertatem amitteret, fluvius, qui in quatuor divisuscapita, ad irrigandum Paradisum à DEO est ordinatus. Quàm verè Protoplasti de arborum fructu comedentes, post lapsum sub earundem foliis latibula quæsierunt, folia ad tegendam corporis nuditatem consarcinârunt, & tandem ejecti sunt; tam veri, terrestres & reipsâ existentes intelliguntur fluvii. Ad hunc veritatis Solem autem, non pauci cœcutiunt, qui veritatem historicam allegoriarum velamentis implicant. Agmen ducat *Phil. Judæus lib. 1. alleg.* cujus vestigia persequitur *Orig. Lib. IV. c. 11. περιεργων*, qui Paradisum quærit in tertio cœlò, in quod raptus fuit S. Paulus; arbores sunt virtutes Angelicæ, flumina sunt aquæ supra cœlestes. Vid. *Christ Chemn. colleg. theol. in quò quæst. in Gene: exponuntur quæst. IV. Aug. L. 8. de Gen. ad lit. c. 1.* Cùm hõc modò Paradisus, ejusque flumina cuilibet, cum quò unò tertio conveniunt, aptari possint, Origeni non difficile erat Paradisum accommodare *vita beatorum, quatuor ejus flumina quatuor virtutibus, Prudentiæ, Fortitudini, Temperantia*



17

rantia & Justitia &c. Vid. Aug. Lib. 13. de Civ. DEI c. XXV. Hanc allegoriarum, quin erroris viam incedit S. Ambrosius in epist. Lib. VI. epist. XLI. ad Sabinum. Paradisus, inquit, est Genesis liber, in quo virtutes pulsulant Patriarcharum. Paradisus Deuteronomium, in quo germinant legis praecepta: Paradisus Evangelium, in quo arbor vitae bonos fructus fert. Epist. XLII. ad Sabin. in qua sententiae Josephi ex L. 1. Antiq. c. 11. & aliorum mentionem fecit, ex quorum opinione concludit: Ex quibus colligitur, Paradisum non terrenum videri posse, non in solo aliquo; sed in nostro principali, quod animatur & vivificatur anime virtutibus & infusione Sp. S. &c. Ergo Paradisus in nostro principali est, sylvosens plurimarum opinionum plantarius, in quo principaliter lignum vitae constituit DEUS. i. e. pictatis radicem &c. Postmodum exponit Paradisum, de Civitate DEI, quae sursum est, L. C. c. 1. subjiciens: In hoc ergo Paradiso, posuit hominem, quem plasnavit. Intellige etiam, quod non eum hominem, qui secundum imaginem DEI est, posuit; sed eum, qui secundum corpus. Incorporalis etiam in loco non est. Hunc Paradisum fluvii Edenis non irrigant. Supeditantur nihilominus virtutum flumina, quibus de Ambr. L. C. c. 3. Sapientia est fons virtutum ceterarum qua nos ad aeternam cursum dirigunt vitae &c. fons iste procedit, ut irriget Paradisum h. e. quaedam fructifera virtutum, quarum sunt quatuor initia, in quae sapientia ista dividitur. Quae sunt quatuor initia virtutum unum prudentia, aliud temperantia, tertium fortitudo, quartum justitia. Haec virtutum flumina accommodat quoque L. C. ad diversa tempora, (a) ante diluvianum. (b) Patriarcharum. (c) sub lege Moysi & (d) reliquum V. T. Multos, non secundum literam & Physicè, sed moraliter, verba Moysi intellexisse, testatur Aug. Lib. XIII. de C. D. c. XXI. Nonnulli, totum illum Paradisum, ubi primi homines Parentes Generis humani. sanctae scripturae veritate fuisse narrantur, ad intelligibilia referunt, arboresq; illas & ligna fructifera in virtutes vitae, moresq; converterunt: tanquam invisibilia & corporalia non fuerint; sed intelligibilia significandorum causa modo dicta vel scripta sint. Conf. Peverius com. in Gen. L. 3. de Parad. c. 2. p. 90. Neutiquam istae Allegoriae locum obtinere possunt, quia omnia fluviorum adjuncta, quin imò omnem historiam evertunt. Quas Lutherus in h. l. nugae Theologo indignas vocat. Huc pertinent verba Hieron. in Dan. apud Ludov. Vic. comment. in L. 13. c. 21. Aug. de C. D. tom. 5. Unde eorum deliramenta conticescant, qui umbras & imagines in veritate quaerentes, ipsam conantur evertere veritatem, ut flumina, & arbores & Paradisum putent, allegoriae legibus se de-

C

bere



bere subruere. Valentinianus Presbyter apud Iſidorum Peluſotam L. 4. epist. 117. optimè iudicat, se ipsos & auditores mitlis modis fallere, qui ſcripturis ſe ſapientiores exiſtimantes, oracula divina, in quascunq; ipſis libuerit formas, tranſmutant. Inevitabile abſurdum oſtendunt Epiph. & Dionyſius Alexandrinus apud Job: Fabric. in diſput. de Paradiso, Illius verba ſunt: Si in celo eſſet Paradiso, quomodo terrenum hominem il- luc Deus introduxiſſet? quomodo ibi animantes è terrâ volucresque creâſſet? ubi vir & mulier? ubi lignum fuit Sarcocolla & ſerpens deceptor? quæ quidem in celo eſſe non poſſunt. Iſtius: Si Paradiso non eſt ſenſibilis, non eſt etiam fons, ſi non eſt fons non eſt flumen, ſi non eſt flu- men, non ſunt quatuor principiâ, non Piſon; non Gion; non Tigris, non Euphrates, non eſt ficus, non folia, non comedit Eva ex arbore, non eſt Adam, non ſunt homines, ſed veritas jam fabula eſt & omnia ad al- legorias vocantur. Nihil magis hiftoriæ adverſum, quam allegoriarum involucrum, ut meritò ſenſus literalis primaria habenda ſit ratio. Vid. Gui- lielmus Nicholls in collatione ſua cum Theiſta (Londini Anglicanò idio- mate prodit an. 1696.) citatus à Joh. Fabr. L. alleg. Quoniam hæc ratio- ne ſenſus literalis non ſine veritatis læſione negligitur, infelices ejuſmodi al- legoriarum textores paſſim vapulant. Quos inter maximè Orig. repre- henſus à Methodio, Euſtathio Antiochenò, Apollinar. atque Theophilo, teſte Socrate Scholaſt. Lib. VI. c. 13. Item ab Epiph. epist. contra Job. Hiero- ſolym. c. 27. & hereſ. 64. Hieron. epist. 62. ad Pamagium. in c. 27. Jer. & in c. 10. Dan. Baſilio hom. 9. in hexaem Chryſoſt. hom. 13. in Gen. Aug. L. 13. de C. D. c. 21. & Lib. 8. de Gen. ad lit. c. 1. Sopbr. Patriarchâ in ſextâ Synodo act. XI. Anaſtaſio Sinaita L. VII. Hexaem aliisque citatis à Sixto Senenſi in Bibliotheca L. V. annot. XIV. Bellar L. de gratia primi hominis, à recentioribus, qui allegantur à Paulo Scherlogio antiq. Hebr. L. II. diſſert. III. Sect. III. num. 15. vid. Joh. Fabr. L. C. Franc. Budd. jam Th. D. & P. P. O. Jena celeberrimus, in diſput. Philol. de allegoriis Orige- nis. Non omnes, ſed eas tantum improbamus allegorias, quæ non admit- tunt ſenſum literalem. Alioquin cum Aug. L. 15. de C. D. c. 27. conſen- titimus: Non eſſe illis conſentiendum, qui ſolam hiftoriam recipiunt ſine allegorica ſignificatione, nec illis, qui ſolas figuras defendunt repudiata hiftoricâ veritate. Et Lib. XIII. de C. D. c. 21. admodum eleganter ſcri- bit: Quasi propterea non poſſit eſſe Paradiso corporalis, quia poteſt etiam Spirituâlis intelligi? tanquam idè non fuerint due muliere Agar & Sara, & ex illis duo filii Abrahe, unus de ancillâ, alius de libe-  
râ,



19  
râ, quia duo testamenta in iis figurata dicit Apostolus: aut idè de nul-  
lâ Petrà, Mose percussente, aqua defluerit, quia potest illic figuratâ si-  
gnificatione etiam Christus intelligi, eodem Apostolo docente. Petra au-  
tem erat Christus. Nemo itaq; prohibet, intelligi Paradisum, vitam  
beatorum &c. Exinde, quod Moses literaturâ Hieroglyphicâ in Ægypto  
imbutus fuerit, & ibi τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν didicerit, uti testa-  
tur Philo de vitâ Moysi p. 468. non sequitur Mosen & h. l. fluvios &c.  
hieroglyphicè descripsisse. A posse enim ad esse, præsertim totò textu  
contrarium suadente, nulla valet consequentia. Neque verbis impropriis  
& figuratis fluvios esse conscriptos, ocularis inspectio docet.

§. X

Hâc firmatâ, progredimur ad alias, subjungentes:

HYPOTH. IV.

*Forma telluris hodierna, non in totum, (quævis in tantum, vel  
ex parte,) ab antediluviana mutata est.*

Hanc à nobis extorsit Burnet, tell. theor. sac. L. 1. c. 5. ineptâ suâ  
mundi antediluviani formâ, quâ mare, omnesque fluvios ab ipsâ alienâ  
fecit, ut neque Paradisiaci, qui tamen magnâ diligentia à Mose confignan-  
tur, extiterint, cum & hi originem & natalem quasi diem tempore antedi-  
luvianâ viderint. Non abs se esse ducimus, si quem sibi formaverat de mun-  
di antediluviani structurâ, conceptum ob oculos ponamus sequentibus: In  
confusâ & indigestâ mole, majoribus minoribusve partibus materiæ ex-  
olutæ, fluidæ & indiscretæ compositâ, partes maximè crassæ suâ gravitate  
subitò deorsum ferebantur, ubi magis magisque compressæ terræ interio-  
ra constituiebant. Liquores verò pingves & macri (quos fuisse præsup-  
ponit) libero aëri expositi ab invicem secedebant, pinguesque innatabant  
& super incumbebant mollioribus. Jam verò partes terrestres, quia aqua  
adhuc turbida, & aër crassus, non statim subidebant omnes. Hinc aqua  
fœces suas ad fundum, terram sc. internam dimisit, aër verò in superfi-  
ciem oleaginearum particularum. Hi pulvisculi aëris à pingvi liquore ir-  
retiti hæserunt, ibique plures aggregati, terram limosam & primam ha-  
bitabilem, effectam reliquerunt, postquam Solis ardore consolidata esset.  
Ubi jam fluvii Paradisiaci? terra habitabilis aquam ubique ambiente, & quasi  
circumfusâ. Ex hoc fundamentò Cosmographiæ Mosâicæ partem al-  
teram ad tempora antediluviana, & postdiluviana simul, alteram ad post-  
diluviana refert tantùm. tell. theor. sac. L. 1. c. 8. Pars prima, inquit, utram-  
que telluris formam, antediluvianam & postdiluvianam respicere potest,  
cùm



cum generalis sit. Secunda autem illam cellaris formam respicit, quae tunc temporis obtinuit, cum haec scriberet Moses, & eriamnus obtinet, nempe postdiluviana. Quòvis modò consensum aliorum quaerit. Postquam enim ex falsò quorundam supposito, difficultatem de Paradisò dirimi posse concesserat, infert terrae mutationem. Ita ipse L. C. Dices forsitan, mutata esse per diluuium fluviorum capita, cursusque. Neque jam constare posse, quâ parte emerferint olim, aut quas terras peragrârunt. Esto, ego juxta tecum sentio: modò fractionem & disruptionem terrae, qualem nos supponimus, in diluuiò contigisse fatearis. Praeterea, pergit, secundum quam Geographiam, vel Hydrographiam descripsisse velis Moesen haec flumina; antediluvianam vel postdiluvianam? si posteriorem sumpseris, nulla contigit insignis terrarum mutatio à tempore Moysi vel diluuiò. Hoc vult dicere: Flumina Paradisi immutata esse, necum consentis. At, post Moysi tempora, nulla insignis mutatio facta est; fluviorum ductus tamen incerti? sequitur ergò, Moesen tempora antediluviana respexisse. Jam verò, terrâ planâ, nullâ fluviorum excavationis tunc fuisse, quod patet ex praecedentibus. Quid super est? Moesen non secundum ἀληθειαν, sed secundum hypothesein & ex mente Populi, locutum esse. Id semper intendit, ubi Moesen sibi contrarium habet. Conf. hyp II. Enim verò, sublata hac vulgari opinione, fluvios Paradisiacos per subterraneos & incertos terrae meatus conjungi, consequentia hae Burnetiana ultro corruit. Quis non ridet ineptum hunc orbis architectum? Num pisces tunc temporis in aridâ vixerunt terrâ? si in aquis, quale domini exercituum, quod tamen à DEO erat concessum hominibus antediluvianis in pisces? ad quos ipsis nullus aditus fuisset. Animalia omnia extincta fuissent siti. A quam enim ad sitim reprimendam statim à creatione expetierunt. Quodnam verò temporis spatium, ad aquam pluvialem suppeditandam requiri putas? cum Burnetius ipse L. C. omnem exhalationem & evaporationem ad usque terrae pingvisin arenam de generationem, mari pracludat. Vapores, ex terrâ post creationem madidâ & pingvi, solis ardore evocati non sufficere potuerunt, in aquam conversi, nulla, terrâ ovali & aequali, undarum erant receptacula, disfluebant, ut animalium lingvis hauriri haud potuerint. Quin imò pingvium istarum ex halationum maxima pars Solis ardore incensa in fumum & ignem abiisset. Si vel maximè eâ formâ gavissum fuisset chaos, quâ in Burnetianâ apparet ideâ; annon propterea orbis habitabilis antediluvianus respondere potuit nostro? beneficiò sc. virtutis assistentis & supra naturaliter, quamvis non naturaliter & per potentiam



tentiam inhaerentem, rectè cum *M. Christ. Wagn. in animadv. suis in Burnetii tell. Theor. sacr.* observamus: Natura quippe ex liberâ DEL institutione dependet, ita ut in hunc usque diem DEUS pro beneplacitò suò, de rerum naturâ dispensare possit, quod comprobant miracula. Nam, leges, naturæ non ad instituendam, sed institutam spectant naturam. Idem ibidem: Ubi simul argumenta & S. Scripturæ torsiones pro formâ telluris primæ diversâ ab hodierna, Burnetiana solidè refutavit. Legi merentur *Job. Casp. Posu. disp. de mundò ante mundum, sive de chad.* Speciem veritatis præ se ferret, si Burnetius globum terraqueum aquâ circumseptum concepisset in primâ creatione, ex verbis *Gen. 1. Congregentur aquæ, quæ sub caelo sunt, in locum unum, ut appareat arida.* Et non ad tempora usque diluvii extendisset. Id videtur Severianò in *hexæmerò. ὅτε τὴν γῆν ἐποίησε ὁ Θεὸς ἔδρω ἢ τὰ κοιλάσματα τῶν ὄρεων. Ἄλλ; αὐτὸ εἶπε συναρχήτω τὸ ὕδωρ, καὶ ἐρράγη ἡ γῆ, καὶ κάλυψες ἐποίησε, καὶ διὰ τὸτο κατέλυεν ὁ Θεὸς τὰς νῆσους, καὶ τὰ ὄρη, ἵνα μάλῃς ὄντι ἀπ' ἀρχῆς συνήσθη.* Cum DEUS primùm terram simul, collecta sit aqua, & fracta est terra, sinusq; fecit & cavitates &c. Et propterea reliquit DEUS insulas & montes, ut inde disceres ab initio fuisse continuos & conjunctos. Alii malunt, DEUM aquis tunc littora & limites constituisse. Quid, si conspirarent *Lutherus, Gerbardus, Hotting.* & alii? Ille comment. in h. l. *Gen.* expressè scribit: Ego breviter sic respondeo: otiosam esse quæstionem de re, quæ amplius non est. Nam, *Moses* scribit res gestas ante peccatum & diluvium. Nos autem cogimur de rebus loqui sicut sunt post peccatum & post diluvium, per quod etiam hic tam nobilis hortus est abolitus & perit. Ille *disp. Isag. 22. c. 9. § 18.* itidem facietur limites Paradisi à nobis non posse describi, *um per diluvium tota terra miserè fuerit vastata.* Conf. *David Christian. tra. peculiari de Paradiso, & ibidem citati. ic. Oleaster, Eugubinus Catharinus Pererius, Corn. à Lapide, Arcudius de Purg. c. 10. &c.* Hic integritatem Paradisi neque ad diluvium concedit. Quia omnes creaturæ vanitati fuerunt subiectæ; & nullus oculatus testis eum vidit. *Enn. disp. disp 3. p. 76.* Scopæ sunt dissolutæ. Burnetius enim ejusmodi Paradisum fluyis circumscriptum fastidit, & omnes fluyios vult removere à tellure primâ. Tantum abest, ut hi nullos statuerint Paradisi fluyios, ut potius eosdem concesserint, & post diluvium, quamvis paulisper immutatos. Nam, quando Paradisum vocant non ens, tunc illis non sermo est de loco Paradisi tam communi, quam propriò, quem superesse contendit ipse *Hotting. L. C. necum de fluyis, sed*



de ipsò hortò. Et quando Hotting. L. C. affirmat, Paradisum neque accidentaliter, neque substantialiter perfectione supermansisse; extra controversiam est, quod ipse Paradisum, quàm talem & formaliter consideratum neget, l. e. ubertatem, amœnitatem, copiam arborum &c. Unò verbò, negat, hortum istum Protoplastorum adhuc inveniri. Hæc est sententia quoque Dav. Paræi com. in Gen. p. 86. *Utrum adhuc sit Paradisus frustra quaeritur. Locus haud dubiè adhuc extat circa Euphratem, sed hortus destructus est.* Sed quid hoc ad nos? Dicis, unde fluyji dicuntur Paradisiaci, cum nullus detur Paradisus? Non est, ut ita objicias, Res enim & memoriae causæ idem nomen gerunt. Vid. M. Andr. Hæd. in Acad. Reg. Phil. primæ & Log. P. P. O. quondam celeberrimi Org. S. Arist. Part. 1. Dial. p. 129. Idem ut plurimum, ut ut non iisdem qualitatibus denique, remanserunt. Reperiuntur quidem, qui Edenis regionem mutatam dicunt, ad eò ut fluyii demoti, totaque universitatis facies diversa facta sit ex diluviò. Minimè verò illis subscribimus, quia nec unicus verbò Moses id indigitavit, è contrario potius ex fluyiorum situ, Paradisi locum veluit notificare, ne confunderentur, κρῖσις, quibus faciliè dignosci possent, parum notis adjicit. Quæ omnia fieri à Mose non potuissent, nisi fluyii, ut vestigia Paradisi essent relicti.

## §. XI.

Hæc de quaestione, an dentur, sufficere possunt, Ad

## HYPOTH. V.

*Eden hoc locò est nomen Regionis in specie Provinciae ejusdem in Mesopotamiâ sive Babyloniâ.*

Eden est vox æquivoca, jam sumitur pro appellativò, significatque delicias, voluptatem &c, idque secundum Etymologiam vocis, cujus radix עֵדֵן delectatus est, unde עֵדֵן delectatio, ab hæc hebræa græcum ἡδονή voluptas originem suam trahere, admodum probabile est; jam pro proprio loci. Conf. Glass. Philol. S. lib. IV. tract. III. de nom. prop. p. 1315. Nondum tamen enodata vox, diversis enim & distinctis locis idem nomen Eden impositum legitur. Propter amœnitatem & fertilitatem loci, Adanam Ciliciæ urbem sæpe eum Eden nomen permutasse, item vicum prope Tripoli in Syriâ, ubi ad Libanum via ducit, eandem sortem expertum esse; Arabiam felicem & alium mediterraneum in hæc ipsa Provinciâ celebrem portum, Adanam seu Aden, quia in terrâ deliciosissimâ, obtinuisse testatur Huet. tr. de Parad. c. 2. Ipse Huet. L. C. habet Eden, cujus meminit Amos 1. 5. pro pulchrâ valle in Syriâ inter Libanum & Antilibanum sitâ, in  
cujus



eius vicinia oppidum; cui nomen Paradisus, observat *Glass. a. L. C.* allegans Junium in not. ad *Gen. 2.* putat, ipsum oppidum in Cœlo-Syria, quod Græci vocârunt Paradisum, Eden dictum esse. Communiter pro terræ tractu in Mesopotamiâ seu Babiloniâ (vocatur quoque Aram Naharaim, & ejus pars versus septentrionem, in quâ urbs Charam, Paddan Aram. Vid. *Spanhem. Geogr. a. seu introd. p. 14.* quam Mesop. multi hodiè sub Hala Pia comprehendunt) capitur. Insulæ Gezaïr, per excellentiam nominata, quæ immediatè supra Tigris atque Euphratis confluentem sita est, Nestoriani, sive quod cõgnoverint, Provinciam Edenem fuisse in hac regione, sive proptèr amenitatem suam, nomen Edenis imposuerunt. *Huet. L. C. t. 17.* Intèr Urbes Mesopotamiæ Gozan, Haran & Reseph narratur Eden. *2. Reg. 19; 12. El. 37; 12.* Et quæ se offerunt loca *Ezech. 27, 23.* Haran, Chene & Eden sæpè laudatus. *Huet. L. C.* in Mesopotamiâ quærit. Inde triplex Eden innotescit, Eden Arabiæ, Syria, (Syria in sacris dividitur in *Aram Seba* & *Palmyrena* ad Euphratem se usque Extendentem, *Aram Damascæ*, aliâs Syriam Damascenam, *Aram Naharaim* & *Paddan Aram*, uti apud Profanos Scriptores in *Cavam, Phœniciam, Damascenam* & *Palesinam* Vid. *M. J. H. Rurige Fragen aus der Geogr. S. p. 26. & 27.*) & Thalassar S. Mesopotamiæ. Dicuntur itaque Hedenæi vel Arabiæ deserta populi, vel Cœlo Syri, vel *μεσοποταμιοι* Si Rabbinis fides habenda, punctorum intuitu ambigua vox Eden distingvi posset. Hi Eden quinque punctis notatum pro Paradisò, sex verò, pro aliis amœnis locis adhiberi censent; quam distinctionem frivolam esse ostendit *Huet. L. C.* quia duo loca licet 6. puncta substrata habeant, de Edene Babiloniæ loquuntur.

§. XII.

Utrò modò hic loci capi debeat Eden, jam dispiciendum est. Pro appellativò deliciarum & voluptatis Eden sumunt *Hieronym. quest. Hebr. in Gen.* & ab ipsò ibidem citatus *Symmachus*, *Severianus Episcopus Gabalitanus hom. 5. in Hexæm. Theodot. Auctor glossæ ordinariæ, Autor vulgatæ*, (qui h. l. & aliis pluribus pro appellativò; Gen. verò c. 4. v. ib. pro nomine propriò terræ tractus capit Eden) quidam Græci, plurimi Latini interpretes, antiqui tam, quàm recentiores, *Theologi Lovanienses* &c. vid. *Huet. L. C.* Hanc sententiam approbat Concilium Tridentinum. Ita fatetur *Bellarminus L. de grat. p. h. c. 13. & L. 2. de V. D. c. 2. In secundò capite Gen. Heden. non esse nomen loci; sed voluptatem significare, satis nobis persuadet autoritas editionis vulgatæ, quam C. T. judicavit esse authenticam.* *Bellarmin.* pro solâ vulgatæ versionis & Conc. Trid. autoritate



ritate certans, hic nihil obtinet. Contrarium nobis aridet. Ratio in promptu est.  $\square$  præfixum ex collatione aliorum locorum & circumstantiarum id requirit. Fluvius egressus est  $\square$   $\square$  v. 10. & ib. c. 4. de Caino, quod secesserit  $\square$   $\square$  ad orientem plagam Edenis, & Ec. 5, 3. DEus ponet desertum  $\square$   $\square$  sicut Edenem, quæ commodè reddi non possunt per voluptatē. Conf. Glass. Philol. S. p. 1283. Calov. comment. ad h. l. Franc. in Orac. p. 20. Bellarm. Lib. de grat. primi hominis c. 13. admittit vocem Eden Gen. 4, 2. Reg. 14, 7. Ezech. 27. Regionem Mesopotamiæ significare, non verò Gen. 2. negat sine ratione, cum connexio textûs regionem h. l. magis urgeat, quàm in cæteris, quæ reliqua loca argumento quoque sunt, edenem pro proprio loci & h. l. intelligi debere.  $\square$  *quantumvis multas admittat significationes, & per Genitivum sæpè reddatur, hic tamen nota loci est. Quia constructio hujus vocis cum aliis partibus orationis id evincit.* Huet. L. C. Otium hic nobis fecit Pererius L. C. prolixè hæc de materiâ differens. *Mibi quidem simillimum verò sit eâ voce de signari hic à Mose locum quandam, in quò erat Paradisus. Habeo ejus sententia autores fermè omnes Græcos Patres, habeo ejus approbatores, quatuor nobilissimos Hebræorum Rabbinos, Kimchi, Abraham, Ben Ezra & Salomonem, atq; id mirificè congruit, cum narratione Mosis. Siquidem in describendo Paradisum eas ipse adhibet circumstantias, è quibus locus ille, ubi qualis quantusq; fuerit, liquidò cognosci queat. Ait enim fuisse cum in Regione Eden ad plagam ejus Orientalem, irriguum magnò quodam sumino, quod propterea in quatuor ingenia & celebratissima flumina dispartiebatur. Quin etiam, inquit, fluxum illum egressum esse ex loco Heden ad irrigandum Paradisum. Quibus verbis quis non vidit vocem Heden significare locum quandam, non autem voluptatem? Quam enim sententiam haberet, illum fluxum exisse ex voluptate ad irrigandum Paradisum? H. J. Consentientes numeramus quosdam Patres Latinos, ut plurimum verò Græcos, qui secuti sunt LXX, (quamvis tamen Eden aliis in locis non rarò per appellativum reddant) uti Latini vulgatam, multos scripturæ interpretes antiquos & hodiernos Job. Damase Lib. II. de fide orthod. c. 2. Paradisus est locus in Eden ad Orientem mirabiliter constitus.*

## §. XIII.

Omne dubium evanescet, si evidum dederimus  $\square$   $\square$  hic esse affectionem loci. Est verò ambiguae significationis, quia idem est, quod principium & ante, intelligi potest & de tempore & de loco. Prima aridet Aquilæ,



25

Aquila, Symmacho, Theodotioni quos secutus est Hieronymus. In cap. feq. 3. v. ult. eandem vocem כרוב vertit ante, & non à principio; *collocavit Deus ante Paradisum voluptatis Cherubim*, quò ipsò locum innuit. Interpretibus vulgatæ inhærentibus, Paraphrastis Chaldaïcis, Onckel. & Jonath. Posterior (dantur nihilominus, qui utramque hòc locò adhibent Vjd. Huet. c. 3. L. C.) verò Græcis ferè omnibus, *Basiliius Hom. XI. in Gen. & in ferm.* quò tractat illa verba Pauli: *In omnibus gratias agite. Chrysof. & Theodoretus in hunc locum, Gregorius Nyss. sup. Orat. Dom. Damasc. Lib. 4. de fid. orthod. c. 13. Severian. in orat.* cur versi ad Orientem adoremus, & aliis à Huetiò citatis, Hæc optima, quare LXX. quoq; כרוב exposuere κατ' ανατολας ad Orientè. Ex aliis insuper locis Molâicis corroboratur Gen. III. v. 24. XI. v. 2. XIII, II. Num. XXXIV, II. India Orientalis præ omnibus aliis locis hoc prædicatum meretur, respexit-nè ergò Moses Indiam, & celebres ibidem fluvios? Minimè. Moses h. l. non intelligit Orientalem simpliciter, sed certò respectu. Indiam Orientalem Moſen non potuisse intelligere, ex eorum colligitur sententiâ, qui existimant, nomen Orientis nunquam in S. Scripturâ extendi, ad eas Regiones, quæ ultra sinum Persicum sunt, sed quæ hunc inter & Judæam, Arabiam scil. Chaldæam, (Chaldæi inferiorem versus Euphratis partem ab Arab: & Judæis Sabii h. e. Orientales appellantur, & Christiani S. Joannis circa Bassoram Veteris Chaldææ partem incolentes, idem nomen obtinent. Teste Huet. C. L. Mesopotamiam, Persiam & Armeniam. Conf. Gen. XXIX. Num. XXIII. coll. Deut. XXIII, & c. Vid. Pereri L. C. Nova difficultas oritur, Orientalis Tygris ripa, Oriens, Occidentalis verò Occidens vocatur, unde locus trans flumen כרוב, citrà flumen autem ערב à quò vox Arabia appellatur; sed ipsa Arabia respectu Judææ Oriens nominatur, quam proinde plagam Orientalem Moſes intelligit? Alii secundum regulas Gram. ad verbum immediatè præcedens respicientes, respondent, quod Orientalis Moſi sit Edenis pars Orientalis. Ita quoq; sentit Perer L. C. Ergò integra hujus loci Moſis sententia hæc erit: *Plantavit Deus Paradisum in Regione Heden, ad plagam ejus Orientalem.* Alii, quod Moſes, sive respectu loci in quò, sive respectu terræ, Judæis, quibus scripsit, promissæ, Edenem Regionem Orientalem respexerit. Eâ ratione adjunctum loci esset supervacuum, quia Judæi in Arabiâ Peræâ, (ex communi sententiâ) Edeni propinquâ, tunc temporis degentes situm Edenis optime noverant. Nihilominus tamen situs Paradisi, ad quem tamen cognoscendum Moſes tam varias & multas circumstantias exactè descripsit, incognitus illis mansisset. Huet. L. C. quod Moſes hæc voce מקום voluerit indicare partem occidentalem Edenis, (Orientalem verò plagam respectu

D

respectu



respectu scribentis) Verum sine erroris crimine, voce **Ⲁⲓⲣⲓⲛ** & Orientalem & Occidentalem Edenis partem diversimodè intelligere possumus. Occidentalem Edenis partem denotat, quando, opponitur majori tractui, Orientem versus vergenti, ita, ut nondum medium ejus obtineat locum. Orientalem verò in ordine ad ripam fluvii Occidentalis. (Trans flumen etiam Paradisum situm fuisse pro verò simillimò habet Huet. L.C. In quò hanc suam sententiam nobis communicat, Edenem à duobus fluvii lateribus sese extendentem Susianam usque pertigisse.) Pro conjecturà hâc stabilîendâ non fundamento nobis est dictum Gen. IV, 16. quò Cain egressus dicitur ad Orientem **Ⲁⲓⲣⲓⲛ**, ac si eâ ratione inaccessum hortum inhabitasse dicendus esset; sed ex fluviorum situ persuasi hoc statuimus. Fuit Eden Provincia Regionis Babylonice, quæ denominationem ab Urbe Babylonici ad Euphraten supra conjunctionem sita, vel Irachie, quæ ab Urbe Erech, Arabibus Irachia, juxta communem Tygris & Euphratis alveum traxerunt, fueruntq; in possessione Nimrodi. Gen. X, 10. Per longum tractum ad communem duorum fluviorum Tygris & Euphratis scilicet conjunctionem propè locum antiquæ Urbis Erech aut Aracæ, quæ loca Ptolomæus posuit. Pergens Irachia latior se extendebat Babylonia, quam & Assyriam & Mediam amplexu suo continebat, suum nomen ipsis addens, temporis successu verò Babylonia in possessionem totius Provincie antiquæ Irachie venit. Vid. Huet. L.C. c. 2. Cujus limites generaliter ita concipi debent, quia accuratè & specialiter poni non possunt. Non audiendi sunt Catharinus & Cajetanus, qui nulla loca pro Edene in Mesopotamiâ facere aut mant, Ratio; Eden in istis locis ab hominibus habitatus dicitur, hæc Babylonica non item. Operæ pretium erit verba Cajetani ex Pereriò comment. in Gen. Lib. III. de Parad. huc transcribere. *Heden, de quò hic agit Moses, & in quò Adam collocatus est, fuit post ejectionem Ade ex Paradiso, planè inhabitabilis, & inaccessus hominibus, propter custodiam Cherubim, in aditu ejus à DEò positam, & Heden, de quò Esaias & Ezechiel supra dictis locis loquuntur, Regio erat, culta & habitata à mercatoribus, pretiosas merces comportantibus in Judæam.* Distingve tempora Cajetane, & concordabit scriptura. Hortus iste Paradisiacus, tempore & in hunc, jus suum exercente, deletus & vastatus, tandem ab hominibus habitari coeptus est. Utrum Regio illa Paradisi ob amoenitatem nomen Heden obtinuerit, sive utrum vox Heden, ut significat voluptatem, tracta sit ex illò locò Heden totius orbis delicatissimò, cum Pererio L.C. in mediò relinquimus.

## §. XIV.

Accuratori Lance reliqua Edenis perpendentibus sese offert

HYPOTH.



## HYPOTH. VI.

To egredi non semper exprimit principium motus, in & ex locò aliquò, neq; numerus singularis hòc locò ponitur pro plurali.

Egredi non Synonymicè prædicatur *a.* enim denotat principium motus à quò, & contradistinguitur locis per quæ; hòc sensu fluvii dicuntur egredi ex locò aliquò, in quò fontem, unde scaturiunt, habent, *β.* designat continuationem motus ad quem, & eà ratione coïncidit cum locis intermediis per quæ, cujus respectu *γ* egredi, præcedentem respicit locum à quo. Posteriorem significationem obtinet hòc locò ita, ut non idem valeat ac oriri in Eden (ortum enim & fontem Euphrates, de quò hic sermo, in Armenià habet.) Conf. Aug. Pfeiff. in dubiis vexat. script. p. 19. circa fine, cuius verba: *Homo dicitur exire è culinà, hęc pertranserit ante hypocaustum & alia conclavia.* Huic accedit Pererius L. C. *Non est necessarium, verbò egrediebatur significari primum ortum, primariq; illius fluvii originem, sed tantummodo indicari flumen illud ex Regione Heden Profluens, directò itinere & cursu in Paradisum influxisse.* Quamvis phrasiologia hæc; Fluvius egreditur ex Eden, intelligi potest, quod egressus sit ex terrà in Edene vel ex terrà in ipso horto, Provinciæ Edenis parte scilicet, in quò posteriori significatu repudiata tamen Regione Eden *τò* egredi inservit, El. IdriNubienfi alias, (sed falsò juxta Huet. c. 4. L. C.) clim. 2. part. 10. qui fluvium magnum in chinà existere ejusque fontem in Paradisò reperi putat; at tamen sensus verborum hoc loco est; Fluvius postquam hanc Provinciam Edenem ingressus est, ex eadem ad irrigandum hortum egreditur. Hic est finis, propter quem fluvius egressus est, scil. *שבעים* septuaginta redderunt *ἐπιογέφυαι*, cui versiones Orientales quoque respondent, non Originem præcise, sed cursum fluvii indicat, neque hebræa vox *שבע* contrariatur, utut de fluvii quando sermo est, nativitatem aquarum proprie significet, secundariò tamen, uti h. l. quod omnes circumstantiæ textus postulant, cursum & progressum ex locò approbare potest & debet. Quod quandoque continuationem cursus indiget, perspicuum est ex Gen. XIX, 23. ubi de Sole dicitur, quod progressus fuerit super terram; In Hebræo *שבע* *שבע* Solem verò in perpetuò motu esse, & proinde ejus progressum h. l. indicari notù est. Excipis Hebræos multa alia vocabula magis propria ejusdem significationis habere. Quid tum, ergone verti potest per progredi? Huet. L. C. c. 4. respondet, habere quidem, sed non magis idonæum vocabulum, quòd in sensu egrediendi adhibeant, ubi res ab unò locò descendit in alterum, quam *שבע*. Ultimò locò queritur, utrum participium singularis numeri *שבע* egressus, secundum multorum opinionem, per pluralem



lem numerum sit exponendum, & fluvius per Synecdochen numeri omnes quatuor comprehendat, vel alias non nominatos, ut egressi ex Regione Heden simul hortum ingressi fuerint? Huius farinae homines dari testatur Perer. L. C. seqq. *Usum est quibusdam, fluvium dici hoc loco pro fluviis, singulari numero posito pro plurali, existimantibus ex Regione Heden multos fluvios ad irrigationem Paradisi confluisse.* (Credula enim Antiquitas Gangis, Nili, Euphratis, & Tygris unum credidit fontem.) Negativam sententiam nostram facimus. Si quatuor fluvii Paradisum sunt ingressi aut conjunctim coeuntes & unum ingentem fluvium formantes, ita ut postmodum se dividerint rursus in quatuor ductus aquarum; aut divisim ingressi sunt. Non prius; hoc in nullâ mappâ ostendi potest, neque posterius. Quatuor enim distincti fluvii, si in quatuor capita singuli abiissent, octo fluvii emerissent hoc prædicatum toti subjecto inesse in textû deprehenditur; dicere fluvios Paradisum ingressos tot numerò manifeste exeuntes, manifestissima est: textûs detorsio & corruptio. Hic fluvius est Euphrates cum Tygri conjunctus. Vero simile id Pererio L. C. p. 104. num. 95. *Ille concursus & confluentia duorum fluminum & fiebat in Regione Heden, & vocabulo unius fluminis appellatur, cum ante & post duo sint diversa flumina &c.* ¶ Euphrat in textu ille fluvius dicitur, quia Euphrat. principalis est, qui ut altior Tygrim quasi absorpsit. Hæc *ὁς ἐν παροίῳ*.

## §. XV.


Nunc ordo in scenâ provocat

## HYPOTH. VII.

*Inde non denotat præcisè divisionem fluviorum in hortò.*

Unâ maximarum ambiguitatum est, quid rō inde importet? Ambiguum hoc inde adeò notum fuit Pererio L. C. ut inter alia scriberet. *Hoc referri potest aut ad locum Heden, ut videlicet in ipsò egressu fluminis ex Heden statim divideretur in quatuor capita, aut ad Paradisum, ut fluvius ille egrediens quidem ex Heden unus esset, sed ingressus in Paradisum divideretur in quatuor flumina, quibus omnis terra Paradisi commodius irrigaretur: aut denique potest referri ad egressum illius fluminis, ex Paradisò, ut flumen illud, postquam irrigasset Paradisum, ejus finibus egressum postea in quatuor fluvios esse dispersitum. Incertum autem est, quantum intervallò post egressum ejus fluminis ex Paradisò ipsum fuerit in quatuor alia flumina dissectum atque divisum.* Si consulere velis Grammaticum, docebit te rō inde referri ad id, quod ultimò locò nominatur, & immediatè præcedit, ut rō inde designet Paradisum, in quò divisio ista fluviorum facta, Idem Muhàmmedo non displicuisse colligitur,



tur, ex ipsius commentò, Paradisum à quatuor fluviis, unò aquam puram, alterò lac, tertio vinum, & quartò mel vehente irrigari, (hujus sectatores trium posteriorum saltem meminerunt) Huet. L.C. c. 5. Nisi quis demonstraverit ex Muhammedi scriptis, quod divisionem longè ante probaverit. Qui Eden pro appellativò sumunt putant itidem, fluvium ex ipsò Paradisò scaturivisse, & primò se diffudisse. Alii statuunt, particulam inde referri ad Edenem, sic ut fluvius, antequàm hortum intraverit, in eadem provincia se in quatuor alveos distribuerit, & hi quoque diversæ sunt opinionis. Alii putant, eum in quatuor alveos in Edene se dividisse, qui omnes in Paradisum fuerint ingressi, alii, unicum in Paradisum ingressum, reliquis in Edene sese distribuentibus. Alii divisionem in ipsò horti aditu factam dimittunt. Alii ab initio fluvium in duo brachia, & paulò infra unumquodque brachium in duo alia, ita ut fiant quatuor abisse. Fabulosis similia Tostati & Mos Bar-Cephæ *inde* extra hortum collocant diversimodè. Hic memorat præclaros scriptores, à quibus proditum sit, fluvium à sublimi locò præcipitatum, in terram mergi, & variis atque longissimè distitis locis terræ nostræ erumpere; Ille Basil. & Ambrosi testes excitans affirmat, fluvium extra Paradisum in maximam planitiem de lapsum, lacum amplissimum, ex quò illa quatuor flumina dimanant, efficere, Vid. Perer. L.C. p. 105. num. 97. Neutra harum congruit cum descriptione Mosaicà & tabularum Geographicarum evidentià; Rem acù tetigere, qui huic sententiæ firmiter inhaerent: Duos aquarum Paradisiacarum ductus à parte superiori, duos autem in parte inferiori reperiri, ut intra se complectantur hortum. Huet. tractatu de Parad. c. 5. singularem ferè alit opinionem: Divortium fluviorum extra Edenem & hortum factum esse, & hoc ipsum innuere verba Mosis, *fluvius egressus est ex Edene ad irrigandum hortum*. Sensum istum: fluvius ibi extendit brachia, ubi egressus ex Edene, vel ubi reliquit Edenem non admittunt subsequentià verba *הַשְׁקֵרָה אֵת הַגֵּן*. Sicinè Paradisus definit esse in Edene; Porro dividit se fluvius vel in superiori vel inferiori parte extra Edenem non in superiori protrahit enim Huet. hanc Provinciam ad conjunctionem usque Tygris & Euphratis, ergò in inferiori, quia Eden eousque non pertingit, sed hoc valdè dubium & fluvius iste in conjunctione non apud omnes Geographos eandem habet longitudinem. Cum tempus edax rerum de die in diem immutet faciem rerum, fieri potuit, ut tempore Mosis ille fluvius solus breviorum tractum mensus post egressum ex hortò dissectus fuerit, inde diversam diversæ figuram fluviorum diversis commonstrant temporibus. Fines Edenis accuratè definiri non posse, antea confessi sumus.  tandem neque ad proximum, neq; magis



remotum locum referri, sed alium, cujus Moles non meminit, videtur dura interpretatio. Sit ita, ut ex particulâ **וְעַד** quis certus esse, non possit, quantò intervallò post egressum se diviserit fluvius, Ergone extra Edenem? nostra *Επιγραφis* est: *Inde designat Edenem, in cujus superiori parte fluvius est divisus.* Omnis probabilitatis odor exspirabit, *inde de hortum intueri, si observaverimus, divisionem istam factam esse non ad irrigandum hortum, sed à Mose Israëlitis in memoriam revocam, ut inde discerent, quibus terminis Paradisus fuerit inclusus.* Quò modò fluvius ille unicus officio suo fungi potuerit, docet Pererius L. C. p. 104. n. 96. *Id quatuor modis fieri potuisse cogitandum est; vel, ut fluvius ille multos sinus & anfractus faciens, usq; quaq; Paradisum allueret & irrigaret; Vel, ut ex eò complures alvei ducerentur, & in omnes Paradisi partes derivarentur; vel, ut modo Nili & Jordanis statis anni temporibus augetens, & superfluens Paradisum inundaret atque irrigaret; vel deniq; ut per subterraneos meatus universam Paradisi terram humore perfunderet suo ac fecundaret.*

## §. XVI.

Diximus fluvios in Edene se divisisse in quatuor capita, quid verò capita sint, docebit:

## HYPOTH. VIII.

Quatuor **וְעַד** seu capita, h. l. non sunt quatuor fluviorum fontes.

Hebræum **וְעַד** non minus quam Latinum multifariam sumitur I. significat venenum, Deut. XXXII, 33. II. Cicutam seu herbam venosam Deut. XXIX, 18. III. Fel. Pl. 69, 22. Metaphoricè de obingratum saporem denotat hominum culpas & peccata, in quà significatione transfertur. Deut. 29, 18. Am. 57, c. 6, 12, Conf. Deut. 32, 32. El. 5, 20. Apoc. 8, 11. Item pœnas & supplicia. In quà Pl. 140, 10. (conferendo v. 4. & c.) Has adductas significationes cum Latino communes non habet, ita ut hoc ceu illud æquivo-cum casu factum non sit: convenit verò in posteriori variâ significatione (α) **וְעַד** significationem capiti subit, idq; primariò. (β) per Metaphoram juxta annotationem Glassi tria potissimum involvit (1.) Rei initium Exod. 12, 2 Deut. 20, 9. & c. (2.) superioritatem tum Loci, ut Gen. 28, 17. 18. c. 47, 31. Exod. 34, 2. & c. tum imperii, Num. 14, 4. c. 36, 1. Pl. 110, 6. & c. (3.) Præcipuum. Exod. 30, 23. Cant. 4, 14. Ezech. 27, 22. Huc spectat, quando pro summa rei adhibetur. Exod. 30, 12. & c. Conf. Salomonis Glassii Philologia sacra Lib. V. Tract. I. cap. XII. de Metaph. ab humano corpore p. 1788. & seq. Et cap. XI. pag. 1742. De Metaph. à terrâ nascentibus.



tibus. Quas significationes conjunctim lege apud Johan. Buxtorff. in Lex. Hebr. & Chald. pag. 704. in fine. Caput quando de fluviis dicitur, ut plurimum innuit fontem & scaturiginem, in eò sensu capita fluviorum apud Horat. Propert. aliosque Latinos legit Huet. c. 5. L.C. p. 20. Prouti caput est, primum & principium corporis, ita quoque caput fluviorum principium est, & fons, seu locus ex quò scaturiunt flumina. Potest insuper fluvium principalem denotare, ut pro Synonymis habendæ sint Locutiones Virgilio Georg. I. & Ænead. VIII. *fluviorum Rex Eridanus, de Tibri, Hisperidum Regnator aquarum.* Hòc locò **אֲשֵׁר** sunt fluvii sese dividentes & se finaliter rursus non conjungentes, breviter; sunt quatuor distincti fluvii, quorum quilibet proprio gaudet ostio. LXX. exprimunt per vocem *אֲשֵׁר* initium, quod pro Hebræo **אֲשֵׁר** positum, reddi potest per agmen aquarum; ita enim versio interpretis Samaritani idem exprimit per Nezolim, apud Hebræos **אֲשֵׁר** ductus aquarum (non verò Insula, ut habet versio polyglotta Anglorum, annotante Huet. L. C.) quæ Locutio usitata est Virgilio Georg. I. Errarunt ergò Severianus Gaball. Hom. 5. in Hexaem. & Mich. Glys. annot. part. I. qui **אֲשֵׁר** per *πηγὰς* fontes verterunt. Addi eà ratione debuisse, cujus fontes & cujus principales fluvii essent? Ad fontes designandos certè & Mosi & LXX. & vulgatæ propria suppetunt nomina & verba, istis sepositis, non adhibuisse æquivoca, quare hòc locò novos significant ingressus, divisiones & distinctos cursus fluminis, quæ significationes non aptius, nisi per **אֲשֵׁר** exprimi possunt. Cum id caput dici possit, quo alterum ab alterò se jungitur; quidni h. l. diversi fluviorum alvei? Equidem nonnullorum mappæ pingunt unum ingentem fluvium se in sinum Persicum exonerantem: Si ab errore omni immunes habendi, dicendum est, terram inter duo ostia fluviorum Persico sinui propiorem, sæpè aquis pressam subsedisse, & distinctos fluvios confluisse. Ejusmodi mutationes quotidiana docet experientia. Propugnaculum Spasini ad marginem maris inter ostia horum fluviorum (non verò ad Euphratis & Tygris, neque Eulææ ostia) constituebatur, jam verò istis in partibus ab incolis hujus Regionis ostenditur locus magnæ Urbis, infra aquas existentis, teste Huëtio L. C. c. 6. Huëtius L. C. ex errore factum esse censet, quia ob ingentem distantiam alterutrum negligitur; formarunt enim duo ista brachia Insulam aliquot milliaria, cum Regionis tractum, qui olim Messena, nunc Chader vocatur, quæ Insula teste oculatò Teixeira plus quàm octoginta milliaria longa & plus quàm unum gradum lata est, juxta delineationem Ptolomæi. Inde ob remotam distantiam error irrepsit, fluvium unicum unò ostiò se in sinum Persicum præcipitare. Huet. L. C. c. 18. Cui rationi



rationi vires accedunt, quod unicus fluvius in chartis solum, quæ generaliter totam Asiam describunt, aut in quibus Sinus Persicus obiter seu locus finitimus additur, oculis conspicientis exponitur. Duplici ratione fieri probabile est, unde in his unus fluvius in sinum Persicum se exonerans, conspicuus reddatur ( $\alpha$ ) Ne Euphrat & Tygris conjunctim in tractu terræ absorberi videantur, aut ( $\beta$ ) quia alteruter fluvius Regius & manū factus creditur, & hinc non attenditur; cum tantummodò majores eosq; plerumq; naturales commoſtrent. Danckert, qui nomen & laudem accurati Geographi meretur, in chartâ de Imperiò Turcicò ostia hæc duo non longè quidem à se invicem distrahit, interim tamen distincta habet, ut pagum Qorna includant; Manet ergò duos distinctos fluvios distinctis ostiis se cum sinu Persicò commiscere. Pro divisione horum fluviorum post conjunctionem citatos Asinium atque Quadratum apud Geographum Stephanum in  $\text{Μεσοσύην}$  Ptolomæum Lib. VI. c. 3. Et tandem Xiphilinum Trajanum narrantem (puta ejus suffragium) Lege apud Huet. L. C. c. 6. in quò locò Belarminum & Patres Malvendam & Bonfrerium, qui nullam divisionem post conjunctionem fluviorum, statuant, refutat.

## §. XVII.

Ne quis nobis plura & alia  $\text{—} \text{—} \text{—}$  seu capita præter quæ Moses narrat, obtrudat, probabimus sequenti

## HYPOTH. IX.

*Numerò quatuor esse, quorum Euphrates est principalis.*

Ex accuratâ mapparum inspectione non possumus non concedere, plures ex Euphrate, Tygri & diviſorum brachiis oriundos reperiri fluvios, qui ratione distantiæ ad Paradisum æqualiter se habent pro uti quatuor laudati; quin imò fieri potuit, ut fluvius ille in Paradisò adrigandum hunc locum multos dimiserit rivulos. Non pugnat cum nostrâ hypothesi. Nam ( $\alpha$ ) multi non rivulorum, nedum fluviorum titulò digni sunt; multi ( $\beta$ ) sunt manū facti, quos Moses suò tempore partim non novit, partim ut variabiles & exiguos ad evitandam omnem confusionem reticuit. Reliqui ( $\gamma$ ) æquæ ac infra nominandi non faciunt ad cognitionem Paradisi. Numerum augent isti, quoque, qui antiquiorum testimoniò testantur, Euphratem cursum suum ad latus Occidentis Arabiam versus Petræam olim habuisse, & per ostium peculiare in mare sese evoluisse. Quod verò hodiè non conspicitur,



tur, eam afferunt causam, Arabes Scenitas pluresq; alios populos ad ejsdem ripas habitantes hunc cursum Euphratis per incisiones infinitas suas in ditio- nes derivantes, adeo eum imminuisse, ut mare attingere non valuerit, sed in paludibus se perdidit. Respondemus cum Huet. L. C. c. 18. (α) alveum istum Euphratis vel torrentem fuisse, ex effusionibus Euphratis enatum, qui aliquando ad mare pergebat, aliquando vero cessante exundatione in via subsistebat; Vel Emissionem aquarum, quas Arabes ad irrigandas terras suas ex Euphrate deduxere, ut populi isti latrocinia sua continuantes ductum hunc exliccaverint, & sic arte opus artis abolente, rem in eum statum, in quo Mo- sis tempore fuit, rursum devenisse, admodum probabile est. Si (β) vel maxi- me Moisis temporibus fuisset (cujus tamen inquit Huet. L. C. aliunde certi esse potuissimus) Eum Moyses non respexit, sed hos, qui Paradiso proximi e- rant, attendere voluit, ne rem (si tam remotum alveum ab eo ipso sibi pro- ximo initium faciendū, enumerasset) majori redderet obscuritati. Si quis hunc Euphratis alveum sive fictum, sive verum voluntate & consilio destinaret ad id, ut per eum Tigris proprio ostio mari se immisceat, tunc unā quasi fidelia, datam responsonem huc accommodantes, duos dealbare possemus parietes. Neq; hi rerum suarum satagunt, qui fluvium istum à quatuor illis, in quos di- visus est, distinguunt, ut quinque emergant. E contrario à se ipso fluit, fluvium istum, quod quoq; tabulis Geographicis respondet, esse פְּרַת פְּרַת; Nulli fluvio, præter hunc Emphaticum פְּרַת præmissum leges. Non pro- pter evidentiam factum est, quia Israelitis notissimus fuit; neque הַיַּרְדֵּן ipsis incognitus fuit, & tamen eo non stipatus est; cum addit circumstantiam lo- ci quem versus labitur, non fluvium, quem noverant, sed ejus progressum no- tificare voluit. Potest enim fluvius esse notus, cujus ductus tamen, quorsum vergat non statim manifestus est. A vero aberrarunt non solum, qui flu- viorum Paradisiacorum fontem volunt esse hunc, qui hodie adhuc inter Beth- lehem & Hebronem conspicitur, de quo Salomon Cant. IV, 12. Verum etiam quibus, velut Joh. Damasc. F. O. Lib. II. c. 2. Fons fluviorum Oceanus est, (fons & fluvius principalis h. l. permutari videntur) Geographia hodierna non approbat: Ex mari omnes in univ. fluvii mediate oriuntur, pro- ptereane quoq; hunc sibi vindicabunt locum? His accensendi sunt, qui in horum centum ceu principalissimum & fontem vocant Jordanem, fluvium in Palaestina insignem. Si hæc Moysis mens fuisset, reponit August. Varen. Trif. hist. Sacr. § 4. aliis rationibus brevitate ergo omisissis, *descripisset scilicet quinque, illa flumina ita, ut ordo numerationis sequeretur ordinem situa- tionis,*



34  
*tionis, scilicet primus situ est Ganges, secundus Tigris, tertius Euphrates, quartus Jordanes, quintus Nilus.* Quam cognationem verò habet Jordanes cum fluviis nostris? communem errorem Nilum & Gangem huc pertinere non errabimus. Alii hunc numerum minuunt, ad eò, ut saltem duo remaneant fluvii, fluvios in quos se Euphrates & Tigris post conjunctionem dividunt, non discernunt & distinguunt à Tigri & Euphrate, Licet fluvii isti non diverfi sint, sunt tamen divisi. De nomine igitur fluviorum jam divisorum diversò solliciti sumus. Non novum enim est, fluvium, aliud nomen recipere, cum dividitur. Si dicendum quod res est, fluvius iste est ductus communis Euphratis & Tigris conjunctorum, in qua conjunctione, Euphratis, qui exundans cum Tigri se combinat, primaria habetur ratio. Quem sive distinguas nomine à reliquis, sive non, perinde erit. Hic fluvius à recentioribus Geographis mirum in modum mutatus est, ut vix vestigia ejus supersint, id quod certum documentum est, terram Paradisiacam à corruptione & mutatione liberam non mansisse. Quod fluvii ille ductus vinculum scilicet Euphratis & Tigris infra Babyloniam urbem jam non deprehenditur, fit, quia populus aquam in multos anfractus & novos rivulos distribuit; unde aqua magis magisque pristinum locum relinquens, ductum aquarum prædictum immutavit. Hic fluvius in tabula Geographi celeberrimi Sañsonis magna, & clarissimi Danckert ita quàm antea in vetustioribus non apparet; Causam ejus assignare hanc possumus quia fluvius ille duos ingentes fluvios Euphrat & Tigrim comprehendens vehementi cursu prolapsus saepe exundando ripam transcendit, terram abreptam dimisit, quæ accumulata super aquas se extulit, unde aqua dissiliens in cavitates terræ & proclivitates ab utraque parte in brachia se disjunct, in quò artem naturæ auxilium tulisse probabile videtur. Accuratiorem fluvii ductum, qui desideret, utatur diverforum tabulis de Imperio Turcicò.





4  
Fol 1297

ULB Halle

3


003 006 867




f  
56











1. N. 7.  
IO PHILOLOGICO-HISTORICO-  
GEOGRAPHICA  
POSTERIOR

DE  
**VIIIS PARA-  
DISIACIS,**

*Quam*  
O. M. FAVENTE  
RE MAGNIFICENTISSIMO,  
*atq.* EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**NO FRIDERICO  
VILHELMO,**

SSIÆ, ELECTORATUS ET PROVIN-  
RANDENBURG, HÆREDE &c. &c. &c.  
PLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
GIA PRUSSORUM ACADEMIA,  
*placida Eruditorum censura subjicit*  
PRÆSES

**MARTINUS CORSCH,**  
RESPONDENTE  
IANO FRIDERICO Stein/ m.

Mulfenf. Pruff.  
AUDITORIO PHILOSOPHORUM,  
Anno M DCC VII. die Julii.  
MONTI, Typis REUSNERIANIS.